zasługi
...niego, Syna Twego
...milszego JEZUSA Chry-
... ktoregoś wszystkim
grze-

MODLITWY

...w, żem zgrzeszył, myślą
...wą, i uczynkiem, moia
...a, moia wina, moiá bar-
wielka wina.

*...ym grzechy twoie Spowiedniko-
...ucha powiesz, daiac sie win-
i żałuiac. żeś BOGA obraził
...naprzykład sposob-*

...te i za wszystkie inne
...rzechy moie, ktorem
...z całe życie przeciw Bo-
...bliźniemu popełnił, ża-
...serdecznie nie tylko dla
...m przez nie Niebo
...na piekielne zasłu-
...le naybardziey
...a nieskończo
ney

CURRUS GRATIÆ DEI

VIATORES AD METAM

GLORIÆ ÆTERNÆ

PROVEHENS

Praxi Exercitiorum Spiritualium

S. P. JGNATII

JNSTRVCTVS

P. IOANNE KRASZEWSKI Societatis IESV

Anno Gratiæ DEI in Carne apparentis 1703.

CRACOVIÆ
Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL,
S. R. M. Ordinarij Typographi.

CVRRVS DEI, decem millibus multiplex, millia lætantium Dominus in eis.

Psal: 67.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO DOMINO
D. IOANNI
CHRYSOSTOMO
GNINSKI,
Epiſcopo Camenecenſi,
Abbati Vagroviecenſi, &c.
DOMINO, PATRONO,
& Mecænati Ampliſſimo.

V*Enit ad Te iterum CVRRVS GRATIÆ DEI, PRÆSVL ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME; & quem, ante complures annos, jam Referendarius Regni, & Abbas meritiſſimus, me ſuadente ac ſuccollante, promptus conſcenderas, ut ejus adminiculo, ſacram in Collegio noſtro Poſnanienſi Eremum percurreres: is nunc Pontificiis Tuis pedibus,*

eſſedo

eßedo proniore ſeſe acclinat, ut Nominis Tui gloriam fronti ſuæ præfixam, orbi præſentet. Ominabar equidem Tibi olim, quòd, ſi Currûs iſtius ſubſidium, Tuis accommodaßes uſibus, auxiliares è cælo ſuppetias fuißet Tibi evocaturus; ut & vitam ad normam Chriſtianæ pietatis componeres; & Præſuleam Infulam adipiſcereris; & Camenecenſem fortunato paßu ingredereris Cathedram. Paruiſti ſervi Tui fideli conſilio: dum Te intra Religioſa Domûs noſtræ penetralia recondens, Exercitia hæc Spiritualia, in profundo ſilentio, Meditationi duntaxat, & colloquiis cum DEO vacans, parciſsimo cibo potuq; utens, cædens te acribus flagellis, humi ad breviorem ſomnum capiendum cubans, aliaſq; corporis afflictationes & aſperitates adhibens, conſtanter peregiſti. Quo exercendi Tui Spiritûs diligenti ſtudio, Tibi quidem lucra ſalutis opima, mihi verò grande ſolatium, Domeſticis autem noſtris ædificationem ſingularem, ſtuporem exteris, Cælitibus admirationem gaudio miſtam, DEO immortali optatum attuliſti guſtum. Ecce verò omini feliciſsimus reſpondit eventus. nam & Virtutem Tuam pluribus argumentis veluti igne probatam, Sedes Apoſtolica Præſuleo inſignivit Honore; & redacto in Poteſtatem Polonam Cameneco, quod rarus ſperabat, Cathedram illam cum ſolemni pompa es ingreßus: atq; ita Podoliæ alter Sol nobilior illuxiſti, ut Illu-

ſtriſsimâ

ſtriſsimâ Gentilitii Draconis Tui caudâ, Lunæ Turcicæ ſplendorem extinxeris; non ſecus Mahometanas ſuperſtitiones è Tua Diœceſi abolens, atq; olim ſerpens Moyſis, ſerpentes Ægyptios devoravit. Hunc itaq; Tibi Currum Gratiæ DEI ſuppedito; ut in illo de ſuperatis tot obicibus, glorioſus triumphes: ego verò ſpondeo, quòd, ſi illum in Tuam acceperis tutelam, ac in ulteriores Tuos uſus converteris; non ſolùm ad culmen Epiſcopalis perfectionis proveheris, ſed etiam ad metam Gloriæ æternæ, pede inoffenſo pertinges. Pallet quidem ille ac metuit, tantæ Dignitatis Tuæ intrare atria, quæ ſummis majora Tuorum Majorum, ac Tua implevêre merita; quæ Senatoriæ Curules, Claves & Aquilæ Regni, quæ ſtupendi nationibus exteris, Polonæ verò felicitatis, & patrii Olympi Atlantes Caducei, totq; inclytæ Cognati Sanguinis ceræ adornârunt; quæ Camenecenſes & Vagroviecenſes decorârunt Infulæ; quæ luculenta Pietatis Tuæ circumſtetêre magiſteria; quæ Orbe toto quæſita poſsedit eruditio; quæ tandem ſublimius quibusvis elogiis GNINSCIORVM hereditat Nomen; & ſecuriùs (quàm olim Heſperio) credita Gentilitio Draconi Tuo decora fideliter aſſervat. Facit tamen inæſtimabilis Tua Pietas, & ingenita clementia, labori meo fiduciam, auſum conatui, licentiam amori ac æſtimationi, Volumini acceſſum. Iam olim

magnam

magnam huic operi dignitatem contulisti, cum Te illi exercendo totum impenderes: nunc multum ei Honorem præstabis, si Te Patronum exhibueris. Quidni exhibeas? siquidem sunt præcelsæ Tuæ mentis partus nobilissimi; qui eò confidentiùs Pastoralem Tuam ambiunt dexteram, quò ardentiùs Tuo pectore, in sacra olim Eremo fuêre nutriti; ideoq; plurimos, DEO favente, mortales, exemplo Tuo ad terminum æternitatis beatæ sunt provecturi. Quare ad occupatam sustentando Regno manum, expeditum ad Te Curru Gratiæ Opus; Authorem verò ad Pontificias plantas, & osculum sacræ Purpuræ admitte. quod demississimis votis precatur

Tuo Illustrissimo & Reverendissimo Nomini

Devinctissimus servus

IOANNES KRASZEWSKI S. I.

INTEN-

INTENTIO
ET SERIES TOTIVS OPERIS.

FRontem hujus Operis ideo talis coronat titulus, CVRRVS GRATIÆ DEI; quia ſicut olim Elias Propheta igneo curru fuit in paradiſum raptus; ita poſtmodum S. P. IGNATIUS, ope Gratiæ DEI & horum Exercitiorum Spiritualium, evectus eſt, ad ſublime perfectionis Chriſtianæ, & vitæ cæleſtis faſtigium. Porro ſicut Elias diſcipulo Eliſeo, duplicem ſuum Spiritum reliquit cum pallio: ita S. P. IGNATIVS, nobis licet indignis Filiis, Religioſâ veſte ſua donatis, reliquit ſalutarem hujus ignei Currus uſum, ut re ipſâ experiamur: Suaviter illum provehi, quem portat Gratia DEI.

Totum hujus Operis negotium decem dierum ſpatio abſolvitur; nam totidem diebus, Apoſtoli, ex juſſu Chriſti, intenti erant Orationi, aliiſq; ſpiritualibus Exercitiis, exſpectantes adventum Spiritus Sancti. Vnaquæq; dies ſeptem habebit occupationes, ad imitationem Regii vatis Pſal: 118. dicentis: *Septies in die laudem dixi tibi.*

Primi generis erunt Meditationes, eæq; in diem tres: quarum prima incipiet ab hora 4. matutina ad horam 5tam. Altera verò ab hora 8. antemeridiana ad 9. Tertia demum ab hora 4. pomeridiana ad 5.

Secundi generis occupationes, erunt Dogmata ſpiritualia; veritates aliquas Chriſtianas proponentia; quorum primum incipiet legi ac trutinari ab hora 6. matutina ad 7. alterum verò ab hora 2. pomeridiana ad 3.

Tertii tandem generis erunt Reflexiones, quæ ambæ fient ab hora 12. ad 1. ita ut medium horæ impendatur uni; & medium, alteri.

Instructio & Series Totius Operis.

Meditationum Materia talis erit, taliq; decurret ordine, qualem S. P. Ignatius in suis Exercitiis spiritualibus descripsit: ut, de Fine hominis, & mediis ad illum conducentibus; tum de modis deviandi ab hoc fine, uti sunt peccata tam mortalia quam venialia; tandem de pœnis harum deviationum; ut sunt, mors, judicium, infernus. Insuper de motivis ac modis redeundi ad hunc finem; uti sunt Gloria cœlestis, Exemplum Christi docentis & patientis; præterea virtutes variæ earumq; usus, præsertim Amoris DEI & conformitatis, cum voluntate ejus.

Dogmatum Materia erunt variæ veritates de Gratia DEI, ut, quanti hæc sit precii, unde cognoscatur eam quis habere? quantopere quibusve modis conservanda, & augenda; quis usus illius respectu nostri quoad principia mundi, quoad Corpus, & Animam, ejusq; præcipuas potentias, memoriam, intellectum, & voluntatem.

Deniq; Reflexionum materia erit duplex: Vna virtutis alicujus, quoad ejus proprietates & actus; uti est amor DEI, Amor proximi, Humilitas, Patientia, mansuetudo, simplicitas, Diligentia spiritualis, Paupertas, Castitas, obedientia. Altera verò alicujus Actionis, per diem occurrentis, ut est Surrectio Matutina, Meditatio, Sacrum, Confessio, Communio, Mensa, Recreatio, Visitatio SS. Sacramenti, Examen, Somnus. Ideo autem hæc materiæ versiculis comprehenduntur, ut suaviùs capiantur ab intellectu, & faciliùs à memoria teneantur. Possunt præterea hi versus in fine Meditationum & Punctorum, per modum Affectuum usurpari; nunc illos ad DEVM dirigendo, nunc veluti audiendo DEVM illos nobis intimantem.

INSTRV-

INSTRVCTIO
Circa Praxim Meditandi.

CVm librum illum quem S. P. Ignatius, post suam ad DEVM conversionem, composuit, & Sedes Apostolica, multorumq; utilitas probavit, appellaverit Exercitia Spiritualia; cumq; hoc nomine intelligi voluerit, quamvis actionem seu functionem spiritualem, per quam se Anima in ordine ad finem vitæ æternæ obtinendum exercet; cujusmodi sunt, Oratio mentalis, sive Meditatio, Contemplatio, Examen conscientiæ, Lectio libri spiritualis, Reflexio supra suas actiones; &c, ideo de his quidem omnibus in hoc opere agendum, potissimùm tamen de Oratione mentali seu Meditatione; nam hæc inter Spirituales animæ functiones, principalem tenet locum.

Porro varios Meditandi Modos. S. P. Ignatius, tradit in suo libro.

I. Et magis usitatus sit per usum trium animæ nostræ potentiarum; scilicet Memoriæ, Intellectus, & Voluntatis. Memoria breviter recolit hanc historiam seu sententiam, de qua est meditandum. Intellectus hoc ipsum expendit ac trutinat; considerando substantiam rei, causas, effectus, proprietates, circumstantias, &c. uti sunt. Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando, hoc vel illud, Persona aliqua dicit, Passa, aut locuta est. Hinc verò Intellectus debet inferre, doctrinam aliquam practicam, ad morum correctionem spectantem; quid in posterum agere, vel cavere conveniat. Simul verò debet Intellectus facere reflexionem, supra vitam præteritam; videndo, quomodo eam doctrinam hactenus servaveris; similiter supra vitam futuram; videndo, quomodo te in posterum gerere debeas. Voluntas tandem varios excitat affectus, juxta materiæ, quam meditaris exigentiam: aut gratias agendo pro aliquo beneficio; aut de aliquo eventu gaudendo; aut timendo aliquid vel e-

vel erubescendo, merendo aut dolendo, amando, aut detestando. Sed præcipuè debet voluntas, facere proposita in particulari, exercendi hanc vel illam virtutem, in hac vel illa occasione; aut cavendi hunc vel illum defectum, in hac vel illa circumstantia, Ad extremum debet voluntas rogare gratiam à DEO, ad mandandum executioni tale propositum Et sic utendum est, tribus animæ potentiis, in quovis meditationis puncto; quæ communiter pro hora, solent esse tria.

II. Meditandi modus, à S. P. Ignatio traditur. Vti circa aliquod mysterium applicatione quinq; sensuum internorum, in potentia imaginativa, seu phantasia residentium: prout nos experientia docet in somnis: nimirum visu, Auditu, Odoratu, Gustu, & Tactu. Ita e. g. meditando de Inferno, potes per imaginationem intueri, quid ibi agatur, quales Dæmones, quales damnati sunt, quàm vehementi igne urantur; idq; additis nonnullis similitudinibus, ferri igniti, metalli aut vitri liquefacti, &c. Deinde audire, quomodo ibi damnati lamententur, maledicant, blasphement. Tum odorari, fœtorem horrendum, quo cruciantur. Tandem gustare fel draconum, & venenum aspidum, quo potantur. Deniq; tangere ignem acerrimum, quo cremantur & torquentur, Post applicationem verò singulorum seorsim sensuum, investiga causam, ob quam damnati hæc patiuntur; Tum subjunge congruum affectum, vel approbando justa judicia DEI; vel insultando damnatis, quòd hæc justè patiantur; simulq; eliciendo actum Æstimationis Dignitatis DEI, Amoris, Doloris &c. Tum reflectas te, an etiam talis causa, non reperiatur in te. si non; age DEO gratias, pete auxilium, ne sit deinceps; propone firmiter, illam cavere. si reperitur, dole de illa; tolle eam per media à DEO præscripta; pete gratiam ad illam cavendam in posterum.

III. Modus consistit in consideratione *Personarum*, quæ intrant aliquod mysterium; tum *Verborum*, ab eis prolatorum; tandem *Operum*, hic & nunc ab eis factorum. E. g. meditando de Nativitate Domini, in 1. puncto, intuere per imaginati-

onem Personas, quæ in illa historia reperiuntur, vide qualisnam illarum est species, seu figura, qualis decor in corpore, qualis nitor in anima, quales affectus gerunt in corde. Atq; ex hoc aspectu, decerpe aliquem fructum, seu doctrinam spiritualem; indeq; affectus competentes in te excita. In 2. puncto audi, quidnam hæ personæ loquantur ad invicem, quid ad DEUM, quid ad te. Atq; hinc etiam aliquem fructum decerpe, & affectus congruos excita. In 3. tandem puncto, aspice illarum Opera, quidnam singulæ personæ agant; accipiendo quoq; hinc, doctrinam aliquam spiritualem, & affectus convenientes excitando.

IV. Modus Meditandi mistus, ex secundo & tertio, fit per modum dialogi, seu mutui colloquii. E. G. Statue in imaginatione, vel SS. Trinitatem, vel Christum Dominum, vel Beatissimam Virginem, vel aliquem Sanctum; & eis varia quæsita, de aliquo facto vel dicto propone; interrogando, causas, effectus, variasq; circumstantias. Tum audi, quidnam tibi respondeat illa persona, super illam quæstionem. Tandem subjunge affectus, illi responso proportionatos; E. G. laudis, gratiarum actionis, gaudii, vel doloris, detestationis vel amoris, desiderii vel abominationis; prout materia postulat. Deniq; proposita congrua forma, ac in particulari statue, vel prosequi illa objecta, vel cavere.

V. Modus Meditandi fit per Reflexionem supra meos actus præteritos. E. G. Accipiam ad meditandum seriem præceptorum DEI, vel Ecclesiæ: & unoquoq; eorum, seorsim considerato, quidnam velit, ad quod obliget, quâ ratione sit observandum, percontabor meipsum, quomodo illud hactenus in hac vel illa occasione servaverim. Si benè & exactè; gratias agam DEO, pro auxiliis gratiæ quibus me adjuvit, ad illud servandum: petamq; illa ad ulteriùs illud implendum. Si malè & perfunctoriè; dolebo de meis defectibus, detestabor illos proponamq; emendationem; cum petitione auxilii Divini, & imploratione SS. Patronorum. Sic progrediar, ad secundum, tertium, ac deinceps

præceptum. Eodem pacto possum considerare, septem peccata mortalia, vel tres virtutes Theologicas, aut quatuor virtutes Cardinales; vel tres potentias animæ, aut quinq; sensus corporis; expendendo in illis separatim meas obligationes, meolq; defectus; & pro illis dolendo, ac emendationem proponendo.

VI. Modus traditur â S. Patre per ruminationem alicujus Orationis vocalis aut verborum Sacræ Scripturæ; estq; talis. Accipe singula seorsim verba, e.g. hujus Orationis Dominicæ, *Pater noster*; & tamdiu in ruminatione hujus verbi, *Pater* subsiste ac morare, quamdiu tibi occurrent illius significationes, similitudines, Causæ, &c. ob quas DEVS vocatur, *Pater noster*, & quamdiu tibi suppetent gustus & affectus hujus verbi. Tum deinde procede, ad considerandum alterum verbum, tertium, quartumve, ac deinceps. Quod dicitur de *Pater noster*, hoc idem potest intelligi, de Psalmo aliquo, e.g. Miserere mei DEVS, vel de hymno aut Prosa Ecclesiæ, uti est, Ave Maris stella, Salve Regina. Adoro te devotè latens DEITAS. &c.

VII. Tandem modus vix â sexto diversus, in eo consistit; Accipe ad meditandum *Pater noster*, vel aliam Orationem vocalem: & post quodlibet verbum, aut saltem post duo verba, respira tantisper. Interim dum respiras, expende sensum istius verbi, aut ponderando dignitatem illius personæ, quam alloqueris; aut vilitatem tui; tum breviter excita in te, pium aliquem affectum. e.g. laudis, gratiarum actionis, amoris, humiliationis. Eodem modo ad secundum verbum, ad tertium, quartumve &c. progrediendum.

Quotunq; ex his Meditandi modo, uti volueris, hæc tibi observanda sunt.

I. ANtequam ad meditandum accedes, puncta priùs meditanda præpara, & affectus in illis eliciendos, materiæ meditandæ congruos, prævide; uti sunt Amoris DEI, Laudis, gratiarum actionis, humiliationis tui, detestationis, doloris, & similes. Hæc autem punctorum præparatio, & affectuum prævisio, si-

sio, fiat pridie ante cubitum; ex pio aliquo authore, aut scriptore rerum spiritualium.

II. Dum verò meditationi te accingis, duobus circiter passibus ante locum, ubi oraturus es, animum sursum eleva, ad DEVM tibi præsentem, non solùm tanquam spectatorem, & auditorem, qui te benignè, & cum magno tuæ salutis desiderio, velit audire, sed etiam tanquam collocutorem, largitoremq; donorum cælestium. Tum expende, te cum summo Rege, ac rerum omnium Domino, de rebus summi momenti, quales sunt, ad tuam æternam salutem spectantes, tractaturum. Deinde propius accedens, procumbe in genua; DEOq; præsenti summam quam potes, exhibe reverentiam, & adorationem, vel illis Abrahæ verbis: *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis*, vel similibus. Tandem præmitte Orationem præparatoriam, quâ petas â DEO gratiam, ut ad majorem ipsius gloriam & beneplaciti gustum, animæq; tuæ profectum, eam horam debitè impendas: quæ quidem Oratio, potest fieri per hymnum: *Veni Creator Spiritus.*

III. Deinde effinge tibi compositionem loci, seu aliquam imaginem corpoream eorum quæ meditaturus es; quæ tibi repræsentet res, personas, locum, & alias circumstantias. Tum pete a DEO gratiam, ad colligendum in illa Oratione fructum, materiæ meditandæ consentaneum; uti est amor hujus vel illius virtutis; timor ac detestatio hujus vel illius vitij. Quæ omnia breviter intra medium horæ quadrantem sunt expedienda.

IV. Tandem propone tibi unum ex punctis jam præparatis, & circa illud ratiocinare, trutinando substantiam rei, causas, effectus, proprietates, accidentia, & circumstantias; juxta superiùs dicta, in septem modis meditandi: atq; hæc omnia dirige ad excitandum aliquem pium voluntatis motum, seu affectum. Et hic est finis Orationis mentalis, in quo tota ejus substantia fructusq; consistit; non in subtilitate cogitationum, vel multiplicitate discursuum. Tum perge ad aliud punctum,

eodem

eodem modo expendendum: sed in primo tamdiu subsiste, quamdiu in illo durat specialis aliqua lux, vel gustus, aut sensus spiritualis.

V. In fine Orationis fiat Colloquium, vel cum tota SS. Trinitate, vel cum Christo Domino, aut Beatissima Virgine DEIpara, vel cum his omnibus quod Colloquium fiet, induendo personam, nunc creaturæ, ad Creatorem, nunc servi ad Dominum, nunc Filii ad Patrem, nunc Discipuli ad Magistrum, nunc Infirmi ad Medicum, nunc Mendici ad Divitem, nunc rei ad Iudicem. &c. Totum deniq; negotium terminetur, Pater noster, Ave MARIA, vel Anima Christi, vel saltem ex his uno.

MODVS FACIENDI REFLEXIONEM.

Supra Virtutes.

I. STatue tibi ante oculos mentis, Christum Dominum in Monte sedentem, ac discipulis suis, Beatitudinum capita explicantem. II. Pete à DEO auxilium ad acquirendam illam virtutem, de qua instituitur Reflexio. III. Proposita virtute, de qua agitur; expende illius naturam, conditiones, actus; accommodatè ad nostrum Institutum; comparando omnia cum præscripto Regularum nostrarum: hæ namq; pro norma & exemplari semper sunt tenendæ. IV. Expende, quanta sit ejusdem virtutis necessitas, & excellentia; simulq; in animo excita ardens illius quærendæ & acquirendæ studium; ad imitationem Christi, Beatissimæ, aliorumq; Sanctorum. V. Expende quanta sit vitii contrarii fæditas; quæ afferat damna, quantùm DEO displiceat, quantùm statui nostro & fini adversetur. VI. Statue firmiter ad studium talis virtutis incumbere; & propone determinatè, exercere hos vel illos eius actus, in hac, vel illa opportunitate, hoc tempore, aut loco: implorando ad hoc auxilium DEI & Beatissimæ. immo expedit, hîc & nunc elicere nonnullos ipsius actus.

MODVS FACIENDI REFLEXIONEM
Supra Actiones Religiosas.

I. IMaginare Christum Dominum in Cathedra sedentem, ac docentem; teq; illi offer in discipulum, ac eum reverenter attenteq; audi. II. Pete gratiam optimè percipiendi, amandi, ac perficiendi, quod ille docet. III. Expende quæ nam sint Functionis illius, e g. Surrectionis Matutinæ, supra quam te reflectis, Partes seu actus particulares? eum vide, quàm sint conformes Legibus nostri Instituti seu Regulis: quæ cum sint à Spiritu S. Divo Parenti nostro dictatæ, & ut tales, à Vicario Christi receptæ, confirmatæq;, inde colliges, quantæ sint excellentiæ, & quanti illas debeas æstimare. IV. Quantum Patres nostri profecerint, illos actus exercendo: quibus addi possunt exempla Christi, Beatissimæ, aliorumq; Sanctorum, ad idem Actuum genus pertinentia. V. Quàm multa oriantur incommoda, ex illorum neglectu. VI. Quomodo illos hactenus exercuisti? quàm multos eis contrarios interiùs exteriusve commisisti? quid in posterum agendum tibi est? in quibus occasionibus & circumstantiis? VII. Gratias age DEO pro multis occasionibus ad tales actus exercendos tibi provisis. Pete veniam de præteritis culpis. Propone firmiter, ut talem functionem in posterum quàm diligentissimè exerceas. Implora opem DEI, per nomen IESV Christi, ejusq; Sanctissimæ Matris.

Notandũ verò: Posse has Reflexiones loco Meditationũ assumi easq; posse fieri per modum mutui colloquii seu dialogi, ita, ut per alterna puncta, nunc alloquamur Christum, aut Virginem Deiparam; nunc illos vicissim nobis loquentes audiamus, circa eam Materiam, supra quam facimus Reflexionem.

(c) INDEX

INDEX
Meditationum, Dogmatum, Reflexionum, per dies ſingulos diſtributarum.

DIES I.

DIES II.

REFLE-

DIES III.

DIES IV.

DIES V.

DIES VI.

DIES VII.

II. Supra

DIES VIII.

DIES IX.

DIES X.

FA-

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS
STANISLAVS WDZIEMBORSKI
PROVINCIÆ POLONÆ SOC: IESV PRÆPOSITVS PROVINCIALIS.

CVm Opuſculum, quod, CVRRVS GRATIÆ DEI inſcribitur, à P. JOANNE KRASZEWSKI Societatis noſtræ Theologo compoſitum, Patres ad revidendum deputati, in lucem edi poſſe probaverint; poteſtate mihi facta ab A. R. P. Noſtro Thyrſo GONZALES, præfatæ Societatis Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has Litteras, manu mea firmatas, ſigilloq; munitas dedi, Cracoviæ ad S. Petrum, 13. Aprilis 1702.

Idem qui ſupra.
mpp:

FACVLTAS
ILLVSTRISSIMI
&
REVERENDISSIMI
Loci Ordinarij.

Imprimatur
Ioannes Casimirus
Episcopus Premisliensis
Nominatus Cracoviensis &c.
mpp.

DIES

DIES PRIMA

Dedicanda Sanctissimæ TRINITATI in gratiarum actionem pro beneficio Creationis & Conservationis; in satisfactionem pro peccatis quinq; sensuum Corporis; ad impetrandũ bonum vsum istarum facultatum; & ad impetrandum Parvulis Baptismum, ne sine illo ex hac vita decedant.

MEDITATIO I

Præparatoria ad faciendas Collectiones.

Prælud: I. Imaginare DEVM tanquam solem lucidum, omnia quidem suis radijs illustrantem; præsertim tamen corda hominum; eumq́; tibi dicentem, audi: *Fili præbe mihi cor tuum.*

Prælud: II. Offer libenter, paratum Cor Tuum DEO; & roga vt illud splendore lucis suæ illuminet; atq́; ardore sui Amoris inflammet.

PVNCTVM I. Audi Christum Dominum, Discipulos suos, in Cænaculo congregatos, alloquentem illis verbis: *Sedete hîc, donec induamini virtute ex alto.* Cui monito obsequentes Apostoli, tamdiu in oratione ferventi perseveraverunt; donec, super illos, in forma ignis, descendit Spiritus S. eosq́; in alios viros commutavit. Idem, tibi, modò intimari existima: nam, & tu, eo animo, debes obire istas collectiones, vt induaris virtute ex alto, vt in te descendat ille ignis Spiritûs S. qui cor S. IGNATII amore DEI & proximi accendit; de quo dictum est: *Ignem veni mittere, & quid volo, nisi vt accendatur.* Virtute cuius, immuteris in alium

virum, ita, vt, ex imperfecto, evadas perfectus, ex tepido ignitus; ex negligente tuæ salutis, zelator etiam alienæ; ex impatiente mansuetus &c. Expende hîc quanta morum mutatio in primis Patribus nostris facta sit, per hæc spiritualia exercitia. Admirare illorum efficaciam. Gratulare S. Patri IGNATIO fructum ipsorum. Exardesce Sanctâ æmulatione. Persvade tibi, nisi ea diligenter obieris, non poteris tibi progressum in virtute, imò & perseverantiam in Religione polliceri. Quia *ex quibus principijs oritur aliquid, per eadem debet conservari.* Cum ergo Societas in primis Patribus orta sit ex istis Exercitijs, & cùm per eadem adoleverit; necesse est, vt per eadem conservetur in ævum.

II. Imaginare illum Patremfamiliâs, qui hortum suum invisens, omnesq; arbores lustrans, cum ibi reperisset vnam infructuosam; indignatione commotus, iussit illam succidi, ne frustra terram occuparet: sed hortulano pro ea supplicanti, suamque circa eandem promittenti operam, longius tempus indulsit, in spem fructûs ex ea capiendi. Quid verò est Religio Societatis; nisi hortus DEI, manu ejus plantatus, sanguine irrigatus, sudore perfusus, tot radijs cælestibus tepefactus, tantâ Divinæ protectionis custodiâ munitus. O quot arbores iste hortus habuit, habetq; ex quibus cælestis ille Pater familiâs suavissimos ac vberrimos fructus percipit, de quibus verificatur illud: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Psal. 1. Te quoque benigna DEI manus, è sylva sæculi transtulit in istum hortum, ijsdemq; cæli favoribus gaudere fecit. Quales ergo illi fructus profers? an non instar pomorum Sodomiticorum, quæ pulchra foris apparent, intus autem plena sunt favilla & cinere? An contra te non queritur DEVS! *Quid vltra debui facere arbori huic, & non feci, speravi ex ea uvas, & ecce tulit labruscas?* An contra te vindicta DEI, proferre non vult sententiam: vt *succidaris, in ignem mittaris, & ardeas, ne frustra terram sanctam occupes?* Ergo nunc, dum adest tempus acceptabile, dum favent dies salutis, supplica DEO pro anima tua, vt ei

saltem

ſaltem in hunc annum, incolumem in corpore prorogetꝰ tu verò propone, quia in his collectionibus per ſeriam inſpectionem defectuum tuorum, arborem animæ tuæ circumfodies, circumpones ei fimum, per ſinceram abominationem peccatorum tuorum, præſcindes noxios peccandi occaſionum ramos; alligabis te per firma emendationis propoſita, arbori vitæ Chriſto, vt ex illo ſalutarem ſuccum hauriens, optatos in poſterũ fructus proferas.

III. Audi Chriſtum Dominum, altâ voce intonantem. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent.* Idem tibi à Chriſto dici exiſtima. ſi hominibus ſæcularibus, imò & alijs Religioſis, poteſtas fieret peragendi hæc ſpiritualia Exercitia; ô quantos ex eis fructus referrent? ſi etiam alicui animæ ad purgatorium damnatæ, daretur facultas, ad vitam redeundi, & vacandi his collectionibus, atq; per illas pro peccatis à ſe commiſſis ſatisfaciendi cum quanta diligentia & ſtudio illas ageret? Ne igitur tu incurras horribilem iſtam Chriſti comminationem, *Væ tibi*; applica te, ad obeunda ſeriò, iſta Exercitia; ad agendam pro negligentijs præteritis veram pænitentiam; ad impetrandos pro emendatione vitæ, novos DEI favores. Da potiùs operam, vt illam tibi Chriſti gratulationem acquiras: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis. Amen dico vobis, multi Reges & Prophetæ voluerunt videre &c.* Fac ergo propoſitum, quàm diligentiſſimè ea peragendi. Implora ad hoc, auxilium DEI, Invoca ferventer ignem Spiritûs S. Veni Sancte Spiritus &c. Aſſigna tibi Patronum ſpecialem pro hac functione. Ordina mortificationes. Intende aſſequi Indulgentiã Plenariam.

Colloquij loco ruminandus Hymnus Veni Creator Spiritus, Mentes tuorum viſita &c.

Eiaculatoria per Diem vſurpandæ.

I. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini Sancto ejus.

 II. Quid

II. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, præter te, DEVS meus; DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum.

III. DEVS meus, & omnia.

DOGMA MATVTINVM

Gratiam DEI, esse vitam Animæ, & quanti illa sit pretii?

I. TAnti pretij est vita quæcunq;, vt abiectissimum ex ijs, quæ vivunt, præstantissima quæq; eorum, quæ vitâ carent, dignitate suâ vincat, atq; excellentiâ superet. Hinc S. Augustinus, cælo, stellis, ipsiq; totius lucis fonti sol, vermen, muscam, & culicem prætulit: hinc aliqui veterum Philosophorum dixerunt; Vitam esse supremam naturam, seu naturæ fastigium. Quodsi vita vermium, culicum, pulicumq; tanti est; si tanti tigridum, leonum, & Elepsantorum, vt in statera rationali, non solùm auro, gemmis, lapidibusq; pretiosis, sed etiam cælestibus corporibus ac luminaribus præponderet: quanti, quæso, erit vita seu Anima hominis, ad imaginem DEI, conditi? At quanti, vita ipsius animæ? cum cujus præstantia, negat S. Chrysostomus, rem vllam in toto orbe certare posse; negat & D. Ambrosius jacturam animæ, par quidquam habere; licet totius mundi vniversitas pessum iret: cum Anima sit quædam Divinitatis imago, immortalis, Angelorum affinis, orbis totius fabricâ, nobilior ac pretiosior portio. *Porro hæc Animæ humanæ vita, non est alia*, quàm sola & vnica Gratia DEI, quæ præter nativum decus, supra sphæram naturæ situm, æstimationis jure ac pretio, ita omnibus eminet; vt meritò de illa dicatur: *Melior est cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile, et non potest comparari.* Prov: 8. Addit S. Augustinus: præstare, vivere Gratiâ, & Iustum, quàm hominem vel Angelum, esse. Imo viri Doctissimi, Lumen Gloriæ, cuius adminiculo Beati DEVM vident, non minori jure postponunt Gratiæ, quàm cuiusvis rei naturæ, postponuntur eiusdem facultates & actiones.

II. Quid

II. Quid autem est Gratia? Respondeat summus Gratiæ æstimator Augustinus, in Psalmo 30. *Est, inquit, affectio manens, seu habitus quidam supernaturalis, in mentibus iustorum diffusus per Spiritum Sanctum, qui datus est illis. Gratia est, quæ ipsam Animæ naturam perficiens, eam facit veluti DEIferam, participemq́; naturæ Divinæ. Hæc est, quæ dividit inter Filios DEI & filios diaboli: quæ DEVM placat & homines suo Creatori conciliat. Hæc est, cuius præsidio iustificamur, & DEO grati, accepti, ac amici reddimur. Hæc est semen vitæ æternæ, sine qua nulli patet in cælestem patriam ingressus. Est decor & pulchritudo, quâ Anima DEO apparet amabilis. Est lumen divinitus inditum, & mentem reddens illustrem ac splendidam.* Hæc aliaq; Gratiæ munera celebrat ibi Augustinus, quorum potissimum ac fundamentum est, hæc, de qua loquimur, Animæ nostræ Vita: juxta illud Pauli Rom: 6. *Gratia DEI vita æterna.* Cuius inæstimabile pretium vt quoquo modo intelligere possimus, nonnullas illius, cum vita corporis, analogias seu similitudines videamus.

III *Gratia ergo idea est vita Animæ.* Quia sicut vita corporis nostri, quam Animam rationalem vocamus, est illa interior spiritualisq́; substantia, qua se homo spiritualiter & corporaliter movet ac perficit, & est potentiarum, quibus operatur, origo; medijsq; illis, ipsarum operationum vitalium, radicale principium: Nam per intellectum cognoscit, per voluntatem vult, per memoriam recordatur: Illa ministerio facultatum suarum videt in oculo, audit in aure, progreditur in pede, in manu movetur, irascitur vel concupiscit in corde. Ità spiritualis vita animæ, quæ est Gratia, est aliquid intra nos manens, quod nos & Spirituales efficit, & fons est facultatum supernaturalium, nec non radicale principium ac fundamentum, earum actionum, quibus vitam æternam promeremur! Illa namq;, præsidio virtutum à se promanantium, credit in DEVM, prout oportet ad salutem; illa in eum salubriter sperat; illa eum intimè amat; illa æquanimiter perfert injurias; illa viscerosè ministrat infirmis, illa se ipsi cælo, suis infert desiderijs. *Formavit Dominus DEVS hominem secundùm naturam, de limo*

terræ, & inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Gen: 27. Formavit etiam illum supra naturam, secundùm Spiritum Filij sui, & inspiravit in animam eius Spiritum Gratiæ, & factus est homo in Spiritum vivificantem; in illum scilicet spiritum, & in illam Gratiæ vitam, ex qua oritur; vt quemadmodum Corpus vitam habens, ordinatis motibus tendit in terminum, in quo demum quiescit; ita anima habens gratiam moveatur actibus meritorijs, bonarumq; actionum gressus dirigat in cælum, tendatq; in finem beatitudinis, in quo quietem veram & nulli perturbationi obnoxiam est habitura. Hoc enim de his Spiritu Gratiæ viventibus canit Psalmus 83. *Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur DEVS Deorum in Sion*: in terra vtiq; viventium per Gratiam & Gloriam immortalem.

IV. Sicut vita naturalis, dat completivè corpori, vt homo sit; illumq; in ordine Entium completorum constituit: ita nos per Formam Gratiæ adipiscimur, vt verè solidèq; in DEO existamus: nam per illam evadimus summæ Divinitatis participes: vel, vt S. Petrus loquitur, *Divinæ consortes naturæ.* Sicut enim illa verè, necessariò, & à se, ac semper existit, nec habet aliunde suspensas existendi rationes: ita vi Gratiæ nos similiter existimus, adeo vt ob illam omnia pro nihilo reputentur, tantùmq; ab illa distent, quantùm ea, quæ non sunt, à præstantissimis distant naturis. Quò allusisse videtur Apostolus, cum ait: *Gratiâ DEI sum id, quod sum*: Illâ nempe Divinè existendi singulari prærogativâ; quam, spretis inclytis natalibus, Civitate Romanâ, ingenio, doctrinâ, honoribus & fama postpositis, solam rebatur expetendam; cætera verò, adeoq; seipsum, si charitatem non haberet, nihil esse; omnesq; alios ita esse, quasi non sint; quòd ei, qui solus Est, noxâ sua perierint. Vnde ipse DEVS asserit, se illos nescire, *Nescio vos*; etsi nihil eorum, quæ sunt, fugere illum possit. Atq; ita, idem est, Animam dare Corpori, vt sit homo completus: quod Gratiam tribuere animæ, vt solidè in DEO sit; nihil aliàs sine illa, futuræ.

V. Adhæc, sicut vita naturalis acquiritur Generatione

naturali

naturali; ita vita Spiritualis Generatione Spirituali comparatur. Hæc autem est SACRAMENTUM Baptismi, quod ex aqua & Spiritu S. facit nos renasci; in parvulis quidem peccati primordialis labem tollens, in adultis verò, peccata quoq; proprijs actibus contracta detergens, Gratiamq; animæ infundens, eam ex mortua viventem, & ex inimica DEI, Amicam, ex filia Diaboli, adoptivam DEI filiam, & mortis secundæ damnationisq; æternæ rea, heredem reddit æternaturæ felicitatis.

VI. Tum, sicut vita naturalis, seu Anima humana Creatur; quia producitur ex nihilo tam sui, quam subiecti; nam esto non ponatur nisi in subiecto apto ac dispositio; cum ipsa sit Actus Corporis Organici, seu varijs qualitatibus affecti; illæ tamen dispositiones, & qualitates non sunt ex natura sua exigitivæ, producendæ Animæ: cum illæ sint materiales, ac divisibiles; hæc autem immaterialis ac indivisibilis est; vnde ad illam non habent Ordinem Causalitatis; sed ad summum, Conditionis sine qua non. Ita quoq; Gratia juxta Principem Theologorum S. Thomam q. 110. a. 2. ad 3. ex eo dicitur creari, quòd secundùm ipsam homines creentur; hoc est, in novo esse constituantur ex nihilo; nimirum ex non meritis; juxta illud Apostoli ad Ephesios 2. *Creati estis in Christo IESV.* Et ad Titum 2. *Apparuit Gratia DEI Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam.* Dum enim parvulis in Baptismo infunditur Gratia justificans, seu vivificans; nulla illorum quoad hoc præcedunt merita; cum illa ob impotentiam vsus rationis nequeant elicere. In adultis verò peccato mortali infectis, esto præcedere debeat Gratiam justificantem, Contritio; hæc tamen non est dispositio ex natura rei exigens Gratiam justificantem: sed solùm ex arbitrio & gratuita ordinatione DEI miserentis.

VII. Insuper, sicut vita naturalis Corpus limitat, & ad propriam (vt ajunt) speciem cujusdam viventis restringit. Ita vita Gratiæ circumscribit animam; ne Divina mandata transiliat, & à debita fide sponsæ deflectat. Illa corpus venustat,

nustat, & ingenitam ei confert elegantiam: hæc naturam humanam in rebus creatis reddit excellentissimam, *cum à suo Creatore ab impietate iustificatur, & à forma deformi, in formam formosam transfertur*, inquit S. Augustinus l. 13. de Trinit. c. 8. Hinc, eam esse speciem Animæ nullo peccato maculatæ, affirmat Blosius, vt si posset oculis corporeis videri, admiratione sui & gaudio, intuentes à sensibus esset alienatura. Iam verò Beatæ Catharinæ Senensi, cum eam patefecisset DEVS, extra se posita, imposq; alterius cogitationis reddita, *Ah, vidisses Pater*, aiebat Confessario, *quæ sit pulchritudo animæ gratiâ ornatæ, profectò vel vnius causâ, mille mortes libenter oppeteres*. Certè, ipsimet cælestibus assveti spectaculis, supremarum mentium oculi, pulchritudine Gratiæ tam vehementer capiuntur, vt ad elevatam eius præsidio Animam attonitæ, proclament: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum*. Cant: 8. Immo verò maius est; DEVM ipsum audire, ac cernere huius formositatis admirabundum spectatorem: Quid enim aliud hæc sibi volunt? nisi: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es?* Quid vult illa, Divini Spiritûs penicillo expressa, eiusdem pulchritudinis effigies, dum toties Columbæ specie, malorum punicorum, lilij, regalis gloriæ, aliarumq; rerum pulcherrimarum coloribus vtcunq; adumbratur?

VIII. Adhæc sicut deficiente debitâ humorum temperiè, congruaq; sanitate, ac necessariâ integritate membrorum, vita corporalis deficit, animaq; discedit: ita, si absit fidelitas observandi mandata DEI, si committatur actus rectæ rationi graviter difformis, necesse est, vitam spiritualem animæ abesse: hac autem absente, quid restat, nisi vt dicatur illud Apocalypticum: *Nomen habes quid vivas & mortuus es*: quia mortua opera facis, & merita mortificas. Certe absq; gratia turpior, deformiorq; es, quàm sit putre & vitâ vacuum cadaver.

IX. Tandem, Vita Gratiæ illa est, ratione cujus Spiritum S. animæ habitatorem possidemus, & Spiritûs Christi possessores constituimur: qui per hoc præstantissimum donum, ita in mentibus justorum commoratur, tanquam accola in domo quam inhabitat;

inhabitat; tanquam nauta in navi, quam gubernat, & à Syrtibus, ſcopuliſq; peccatorum immunem tuetur; tanquam DEVS in Templo Sancto ſuo, in quo ſinceriſſimè adoratur & colitur. Quod quidem, etſi nihil præterea addamus, ſupra quam dici queat, Gratiam commendat. Nec enim tantùm eſt *participatio naturæ Divinæ*; ſed etiam nos efficit participes ipſius Perſonæ Spiritus S. & quod concomitans eſt, ipſam Patris & Filij Perſonam in animas noſtras inducit. Quare præcipui Theologi volunt: Iuſtos duplici vnione cum DEO coniungi; alterâ Gratiæ per inſignem benevolentiam; altera ſubſtantiæ, per inductam in illorum mentes Spiritus S. Perſonam. Qua de re ſit ſatis vnum inter primos S. Thomam 1. par: q. 143. art: 3. diſſerentem audire: *Per donum* inquit, *Gratiæ perficitur Creatura rationalis ad hoc, quod liberè non ſolum ipſo dono creato vtatur, ſed vt ipſâ Perſonâ Divinâ fruatur: & ideo Miſſio inviſibilis fit, ſecundùm donum Gratiæ gratum facientis, & tamen ipſa Divina Perſona datur.* Atq; hoc videntur ſignificare illæ S. Scripturæ phraſes, *Corpora noſtra eſſe membra & Templa Spiritus S. charitatem DEI diffuſam eſſe in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis; Spiritum S. mittendum in nomine Chriſti, manſurum apud nos & in nobis futurum.* Ex quibus continuò ingens oritur admiratio Gratiæ adeo potentis ac fæcundæ, vt infinitum hoc & immenſum bonum, in animos noſtros neceſſariò ſecum vehat, adeo, vt ſi fingendi causâ ponamus, DEVM non implere permeareq; vniverſa, ſed eſſe illius mentes aliquorum vacuas, in ijs tamen Spiritus S. beneficio Gratiæ futurus ſit. Non minùs, (inquit doctiſſimus Suarez,) quàm Verbum Divinum, ſi poſſet aliunde abeſſe, ab aſſumpta humanitate; vi tamen vnionis hypoſtaticæ, illius corpori animæq; neceſſario adeſſet. Admirandam ſanè, iterum iterumq; Gratiæ virtutem, tam dulci, tam ſancto, tam individuo Comitatu beatæ, ſecumq; in animas hominum abjectorum, Sanctiſſimam Triadem inducentis.

X. Deniq; vita hæc, quam Anima haurit ex Gratia, tam ſublimis eſt, vt in ordine proprio ſoli DEO ſtatuatur; animetur à Spiritu Sancto; moveaturq; ab eo, & agat Divina qua-

dam ratione super omnem naturæ facultatem. Quod enim anima præstat corpori, hoc ipsemet DEVS præstat animæ, ideoq; vocatur Anima Animæ, Vita Vitæ. Vnde supra citatus Augustinus in Psalm: 70. sic ait; *Dicam audacter, fratres, sed tamen verum: Duæ vitæ sunt, vna Corporis, altera animæ: sicut vita Corporis, anima; sic vita animæ, DEVS. quomodo si anima corpus deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat DEVS. ipsa est enim Gratia eius, vt resuscitet & sit nobiscum.* Neq; verò ideo DEVS dicitur vita animæ, quasi absq; vllo creato dono, per se ipsum mentem vivificet, eiq; veluti forma substantialis inhæreat; hoc enim naturæ Divinæ repugnat: sed, quia quasi summa & primaria forma (vt D. Thomas loquitur opusc: de dilect: DEI, cap: 20.) idem reipsâ in anima efficit, ipso DEI Spiritu actâ & vivente, quod solet anima in Corpore. Cum nimirum, per Gratiam iustorum cordibus infusam, eos morte peccati eripit, & eàdem secum vitâ gaudere facit; ad quam planè vitam mors est, quidquid nomine vitæ appellatur. Quare Apostolus aliam non agnoscens, vnaq; hac apertè glorians, ait: *Gratiâ DEI sum, id, quod sum.* Et *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Vivit & in nobis per Gratiam justificantem, & vtinam vivat vsq; ad vltimum agonem, vsq; in æternum.

XI. Ad extremum, tanta est Animæ nostræ, Gratia Divinâ præditæ, pulchritudo, vt omnium cælestium corporum pulchritudinem excedat, quam si virtutum, ac honestarum actionum, meritorumq; supernaturalium nitore expoliat; jam nihil sub DEO ornatius, elegantiusq; videri potest. Si à natura insitam animæ præstantiam, tanti æstimarunt Sancti, vt pro illa conservanda aut instauranda, omnes omnino labores suscipiendos esse dicerent: quod studium ab homine par est adhiberi, vt illa, ornamentis Gratiæ ac virtutis, non solùm non destituatur vnquam, sed etiam augeatur? Si ad Corpus, vermium pabulum, comendum colendumq;, tantum operæ, ac temporis passim impenditur: quid animæ tribuere convenit? cui ipsi, deformitas corporis, magno aliquando horrori fuit; prout non vanæ tradunt historiæ. Obierat aliquis in peccato mortali; cum

interim

interim, vt illud expiaret, impetratus est illi ad Corpus reditus, Sanctorum, quibus aliquando in vita apprimè devotus erat, precibus. Dum verò illud tam deforme horridumq; intuetur, ita regressum refugere & abominari cæpit, vt nisi Angelus vrsisset, & aliter fieri non posse assereret, nulla ratione ad id posset adigi. Regressus in Corpus, 40. dies, sine cibo & potu consumpsit in lacrymis; ac deinde obijt. Si, Corporis anima destituti, tanta est deformitas, vt omnibus immo & ipsi Sociæ suæ Animæ horrorem incutiat: animæ verò pulchritudo tanta, vt DEVM habeat amatorem: cur corpore deserto, non omnes curas in istam convertimus? Vellem, vt hac in parte audiremus consilium Thaumaturgi Indiarum Apostoli S. FRANCISCI XAVERII, qui in sua Epistola ad Regem Lusitaniæ IOANNEM III. ita scribit: *Si Regem à meis amantissimis atq; fidelissimis consilijs non abhorrere arbitrarer, saluberrimum illi darem consilium; vt quotidie per quadrantem horæ. Divinam illam sententiam meditando percurreret: Quid prodest homini, si vniversum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur. germanamq; hujus intelligentiam à DEO peteret, cum sensu animi interiore coniunctam; & simul omnium suarum precationum, hanc vellet esse clausulam: Quid prodest. Tempus est, hunc Regi errorem eripiendi, quoniam propius, quàm existimat, adest hora, quâ illum Rex Regum, & Dominus Dominantium, ad rationem reddendam evocaturus est.* Quod vir Sanctus Prophetico Spiritu videtur prædixisse; siquidem paulò post, supremum diem Rex obijt. Vtinam nos Consilium hoc, quod tantus Vir Regi peroptabat proponi, re ipsâ accuratè sequamur, & Animæ vitam, seu Gratiam DEI, non solùm omnibus hujus mundi thesauris, sed etiam temporali Corporis vitæ, quæ nobis adeo chara & pretiosa est, præferamus; ac tandem cum Sancto Augustino exclamemus: *O quam suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat: ejiciebas enim illas à me, vera & summa svavitas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior, DEVS meus,* per Gratiam justificantem in cordibus nostris habitans.

MEDITATIO II.

De Creatione Hominis.

Præludi I. Imaginare DEVM, velut mare immensum; Creaturas autem velut quosdam rivulos ex illo profluentes, & iterum in illud reflexo gradu redeuntes; te quoque tanquam vnum ex illis.

Præludi II. Pete à DEO gratiam, cognoscendi excellentiam & principij à quo exiisti, & finis ad quem creatus es, redireq; debes.

PVNCTVM I. Quidnam fuisti ab æterno, & ante 40. vel 60. annos, antequam in vtero Matris conciperereris? Fuisti purum putumque nihil, quod omni Creatura, etiam minimâ & vilissimâ, e. g. culice aut pulice est vilius. Ex hac igitur nihili abysso, DEVS Omnipotens suâ dextera te eduxit in lucem & statum existentiæ. Eduxit autem non propter vlla tua merita præexistentia: quia hæc nulla fuerant. Sicut & tu, qui esses illlorum principium, nihil omninò fuisti. Imò prævidit DEVS, tot tua demerita, ingratitudines, offensas, & injurias; & tamen his non obstantibus, te produxit. Non etiam propter aliquam suam indigentiam vtilitatemvè: quia DEVS nullis tuis obsequijs, sicut nec te ipso, immo nullâ egebat Creaturâ: vtpotè qui per totam æternitatem fuit & est; eritq; semper in seipso sufficientissimus, felicissimus, ac beatissimus, nulliusq; rei extra se omnino egens. Non sicut Domini temporales, qui absq; servis eorumq; obsequijs, subsistere non possunt. Vnde Psalmista: *DEVS meus es Tu, quia bonorum meorum non eges.* Et Sapiens ait: *Etiamsi omnes Gentes pereant, nihil ei perit.* Produxit ergo te ex mera bonitate sua, impellente illum ad hoc solo amore tui gratuito. Ama igitur in tempore hanc bonitatem, quæ te ab æterno gratis adamavit. Admirare sapientiam, quæ te ab æterno cognovit, & à cæteris non Entibus discrevit. Adora Omnipotentiam, quæ te è nihilo, ad terminum infinite distantem; nempè ad actualem existentiam produxit.

produxit. Subjice te summæ illi authoritati & potestati, ad omnem eius nutum. Agnosce te indignum oculo tantæ Maiestatis, memor tuæ originis & nihili.

II. Qualenam esse, DEVS tibi dedit? Non qualecunque: cujusmodi est in Elementis, lapidibus, plantis, animantibus, brutis: sed Esse intellectuale, rationale, spirituale, immortale, paulò minus ab Angelis. Esse ad imaginem & similitudinem DEI: ad imaginem quidem, quia memoria, intellectu, & voluntate præditum; ad similitudinem verò, quia Esse capax omnium virtutum, actionumq; honestarum, quæ sunt veluti quidam naturæ Divinæ characteres. Potuit quidem DEVS loco tui, producere infinitos alios homines, qui ei longè meliùs servivissent, dareq; illis hoc Esse; potuit quoq; loco tui producere lapidem, arborem, brutum, &c. interim illis postpositis & omissis, te produxit. Potuit te producere stultum, cæcum, claudum, leprosum; sicut multos alios: interim tibi omnia membra & sensus integros dedit; imò bono ingenio, indole, sanitate, instruxit te atq; cumulavit. Potuit te producere ex Parentibus Ethnicis, Iudæis, Hæreticis; interim ex Catholicis nasci fecit, & sancta fide à teneris instrui. Agnosce magnum DEI amorem, ex quo tibi tot beneficia contulit. Exclama cum Davide; *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Impera omnibus partibus & potentijs tuis, vt DEVM laudent, ament, colant, revereantur: easq; hîc enumera. Exulta hîc cum Virgine Beatissima, dicendo: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus &c. Respexit humilitatem, quia fecit mihi &c. &c.*

III. Ob quem finem DEVS te creavit? Nimirum ob duplicem. Immediatum seu subordinatum; & Mediatum seu vltimatum. Immediatus est, vt in hac vita agnoscas DEVM; agnitum ex toto corde ames, colas, & reverearis; debitum ei honorem & famulatum præstando, in observatione ejus præceptorum & Ecclesiæ; omnesq; tuas facultates ac potentias ab illo acceptas, in ejus laudem atq; cultum impendendo. Mediatus verò & vltimatus finis est, vt postquam hæc prædicta

 præstiteris,

præſtiteris, fias particeps gloriæ & beatitudinis æternæ, quâ DEVS ipſe fruitur; nimirum perpetuò DEVM intuendo, eumque amando. ac illo fruendo, indeque gaudendo in æternum ſine vlla interruptione. Vbi expendam hæc tria. I. Quanta ſit altitudo iſtius mei finis, ita vt illo nullum excellentiorem habere potuerim. Natus enim ſum, non vt ſerviam Regibus Imperatoribusvè terrenis, aut Angelis; ſed vt ſerviam ſummo Regi ac Domino Vniverſi. Natus ſum, non vt fruar caducis hujus mundi bonis, honoribus, divitijs, voluptatibus; ſed vt fruar illo ſummo & æterno Bono, in quo ſunt omnia ſimul bona. Natus ſum, vt ſim beatus eadem beatitudine, qua ſunt beati ipſi Angeli, Sancti DEI, Beatiſſima Virgo, Humanitas Chriſti, imò ipſe DEVS. Diſcurram hic per illud immenſum pelagus perfectionum Divinarum, vt ſunt: Eſſe à ſe, Omnipotentia, omniſcientia, Immenſitas, Æternitas, Immortalitas, ſumma bonitas, ſumma miſericordia &c. Horum ego omnium ero particeps in æternum. O quanta mea felicitas! II. Inferam, quanti momenti eſt conſecutio iſtius finîs mei: ſi enim propter regnum temporale acquirendum, vel retinendum tot impenſæ fiunt, tot curæ & labores impenduntur; Quid debet fieri propter regnum æternum. Cujus amiſſio trahit poſt ſe, alterum extremum valdè terribile, nimirum infernum cum ſuis pœnis æternis; jam enim neceſſe eſt, vt mihi vna ex his ſortibus obveniat. III. Expendam, quomodo ego hactenus huic immediato fini ſatisfecerim, vt ſperare prudenter poſſim conſecutionem alterius finis mediati.

In Colloquio erubeſcam negligentiam meam. Dolebo de illa. Proponam emendationem; veniam precabor. Petam gratiam. Fatebor me obligari, ad impendendum id totum, quod ſum, quod habeo, quod operari poſſum, in laudem & obſequium mei Creatoris, ita, vt hæc obligatio non ſit à me ſeparabilis, cum ſit in mea eſſentia tranſcendentaliter imbibita: ſi enim ille qui plantat vineam, habet jus, ad colligendos ex ea fructus; & qui ædificat domum, iure gaudet, ad habitandum in ea; & qui emit mancipium, vtitur iure ſuo, in omnes ipſius

actiones.

actiones. Quale ius & dominium habebit DEVS in te, tuaq; omnia, titulo Creatoris, Conservatoris, & Cooperatoris, à quo cuncta dependent essentialiter. Recognoscam omnem meam actionem, debere esse subiectam voluntati ac dominio DEI: quæ verò illi adversatur, esse manifestam iniustitiam, contra jus eius altissimum.

Magnificat Anima mea Dominum &c.

REFLEXIO
Supra
Amorem erga DEVM.

MAlo mori, graviore DEVM quàm lædere noxâ:
Aut veniale sciensq; volensq; patrare piaclum;
Culpas tam parvas quàm magnas execror omnes.
Diligo corde DEVM toto; nec partior vllis
Rebus; ob hunc ipsum; nam præmia nulla requiro.
Diligo propter eum duntaxat, cuncta creata.
Quidquid amat DEVS, hoc simili complector amore.
Quisquis amoris habet vim, curo diligat illum.
Accepto, quod agit de me sua dextra Paterna:
Delector quidquid det, quamvis sæpe molestum.
Eius amore, bonis spolio me spontè creatis.
Præ reliquis illum memori sub pectore verso:
Sæpe libens eius laudes mea lingua perorat.
Majestas eius mihi dulcia gaudia præstat.
Semper clara DEI primis mihi visio votis.
Ambio, quotidie vis in me crescat amoris.

REFLEXIO
Supra
Surrectionem Matutinam

SVrge celer strato; campanæ promptus obedi;
Te Cruce præmuni; sis gratus; gesta diei

Offer;

Offer; & auxilium poſcens, propone cavere:
Dumq; verecundos circumdas veſtibus artus,
Fac, animo paſſi recolas inſignia Chriſti.
Limen adi templi; tectum venerare Tonantem;
Cûi primos, poſcens benedici, defer honores.
Affer aquas; effer veteres; prævertere noli:
Non, nimiùm nudato manus; aſperſio non ſit.
Cumq; lavas vndis extra faciemq; manuſq;;
Intra, ad munditiem contriti cordis anhela.

DOGMA POMERIDIANVM

Quantum intereſt, inter Hominem etiam eundem, Gratiâ præditum, eâq; privatum.

I. VT oppoſita penes ſe poſita magis eluceſcant; poſt explicatam Vitæ ſpiritualis præſtantiam, videndum nunc, quid ſit carere illâ; & quantum interſit inter hominem etiam eundem gratiâ præditum, eaq; privatum. Quærenti igitur hoc, ſtatim occurrit reſponſum. Tantùm intereſſe, quantùm inter hominem & belluam, inter Angelum & Cacodæmonem, inter Templum Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſpelæum Dæmonum, inter DEI Filium, ac diaboli mancipium, inter vivum & mortuum, inter exiſtentem & nihil. Verè ſiquidem D. Chryſoſtomus hominem gratiâ ornatum dixit *Normam Rationis, æquitatis ideam, ſpeculum moderationis, demum homine maiorem*: Gratiâ verò carentem, nuncupavit *feram exlegem, rationiſq; expertem, belluam in exitium ſuum præcipitem, voluntarium dæmonem, atq; adeo tantùm à ſeipſo diſcrepantem, quantum diſtat mors à vita; id, quod non eſt, ab eo, quod eſt*; vſq; adeo, vt mors gratiæ eiuſq; privatio, peius naturam deſtruat, quàm ſi in primordiale nihili ſui chaos rediret. Hoc enim ipſemet Chriſtus ſenſit, cum Iudam peius eſſe, quàm nunquam extitiſſe pronuntiavit; & meritò. Cum enim Vita Gratiæ tribuat animæ, vt cum DEO, & in DEO verè ſolideq; exiſtat; ſequitur, quòd, cum illam homo, voluntario

ſuo

ſuo auſu, amittit; illico ex eſſe, conſortiiq; Divini ſummo gradu, in nihilum miſerè proruat; neq; intelligat, multò deſiderabilius eſſe, nunquam fuiſſe in lucem productum; aut in primigenias nihili ſui tenebras momento diſſolvi.

II. Notat S. Baſilius l. 2. contra Eunomium illam D. Pauli ſalutationem: *Sanctis qui ſunt in Epheſo*, lectam à majoribus, abſq; vrbis illius aut loci mentione, *Sanctis qui ſunt*. Et in illo ad Galatas, *Qui Chriſti ſunt, Carnem ſuam crucifixerunt*. S. Hieronymus omiſſo Chriſti nomine, legit tantùm *Qui ſunt*: innuens, illos ſolos eſſe, quos Gratiæ ſanctitas cum DEO ſociat; alios verò ita eſſe, quaſi non ſint: illos nimirum, quos furens ambitio, quos libido inſana, & quodvis aliud facinus egit in transverſum à Gratia; cum qua ſi comparentur omnia, pro meris nugis, pro nihilo haberi debent.

III. Hanc ipſam diſcrepantiam luculentiùs nobis oſtendant exempla, tum è ſacris literis, tum ex probatiſſimis Authoribus petita. Saul Regum Iſrael primus, gratia munitus, quàm diſſimilis ſibi ipſi gratia deſtituto? Tunc enim fuit tam modeſtus, vt oblatum ſibi Regnum, occultioribus, intra quas ſeſe abſcondebat, latebris devitaret; tam patiens, vt diſſimularet jactum in ſe jam Regem, perduelle convitium; tam verecundus & arcani tenax, vt Patrem & fratres de ſua in regnum inauguratione celaret; tam probè moratus, vt homo id ætatis & liberorum Pater, juſſu Patris, aſinas errantes quæreret; tam ingenuus & candidus, vt in primordijs initi à ſe Regni, puer vnius anni à Sacra Pagina celebretur; tam obſervans Perſonarum DEO dicatarum, vt illas non aliter petendi conſilij cauſâ adire voluerit, quàm oblato honorario è ſua penu deprompto. At verò vbi Gratiám amiſit, quæ illum inſania, quis furor, quæ rabies non invaſit? Superba ejus invidia non tulit alienam laudem etſi juſtiſſimam; non tulit ſucceſſoris mentionem, refractaria DEO ambitio; non tulit efferata ira, & profundum odium, eius vitam, à quo ipſe vitam acceperat; non tulit ſat levia juſſa DEI, animus intractabilis; mendax iactantia non tulit ingenuam erroris Confeſſionem. Mitto interrogatam nefa-

 riè Tripo-

riè Tripodem, horrenda sacrilegia, funestas cædes, cæca perjuria, furorem effrenem; quibus Dæmoni fuit, quam arreptitio similior; cum ante Angelo, quàm homini propior extitisset, Davide autem quid mansuetius, mitius, tolerantius, religiosius, gratiâ præsente: eadem verò quamvis ad breve tempus deperdita, quid illo truculentius atq; crudelius? Inprimis quidem in magnanimum militem ac fidelissimum Vriam; deinde in calamitosos captæ & occupatæ Kabbæ Cives etiam innocentes, in teneram ætatem, ac sexum imbecilem, cæterosq; quos expugnavit Ammonitas, serrâ, lentis ignibus, ferratis carpentis sectos, vstulatos, obtritos? Vbi illa nunc Davidis bonitas & mansuetudo in Saulem, Semeium, Absalonem & alios? Fugiente Gratiâ, simul evanuit, & crudeli immanitati loco cessit. Quid memorem Filium Davidis Salomonem, qui Divinâ orbatus gratiâ, ex religiosissimo veri DEI cultore, in mulierosum falsorum Deorum receptorem, ex sapientissimo Regum & hominum, in stultissimum & amentissimum degeneravit. Tandem, Iudæ stupendâ Catastrophe poteftne magis horrenda cogitari? Gratiâ suffultus omnia libens abiecit, ac instar luti habuit, vt Christo se adiungens, Christum sibi lucrifaceret. Gratiâ destitutus non exhorruit eundem vendere, vt paucis frueretur nummulis: & confestim ex Apostolo DEI, in Dæmonem transijt, audijtq; : *Vnus ex vobis diabolus est.* Qualem tandem legimus Paulum gratiâ carentem? Effrenem homicidam, blasphemum, Ecclesiæ persecutorem, sanguinis innocui sitientem tigridem. Qualem verò Gratiâ præditum? Vas Electionis ad portandum Nomen IESV coram Gentibus, Doctorem Orbis, Tubam Spiritus S., Præconem veritatis ardentissimum, Testem Christi fidelissimum. Quid loquar de Principe Apostolorum Petro? quàm zelosus ille, præsente gratiâ, Christi amator? quàm heroicus Domini sui defensor? sed dum ab illa tantisper recessit, ecce verò illum habemus perfidum, mendacem, perjurum, abyssum, scelere scelus invocantem. Tanti nimirum tanti interest inter eundem hominem Gratiâ præditum, & illâ privatum.

IV. Non

IV. Non poteſt quidem lingua mortalis explicare, quanta ſit animæ gratiâ ornatæ pulchritudo, quanta maieſtas, quantus decor? & quanta eiuſdem gratiâ deſtitutæ turpitudo, quanta fœditas, quis horror? Explicat eam tamen S. Chryſoſtomus inducto Symbolo miſerrimi hominis, & toto corpore saucij, ac lepra, ſanie, tabo diffluentis; putatq́; animam Divinæ legis ream, longè turpiorem eſſe quàm ſi quis, exeſis inhoneſte naribus, auribus truncis, erutis oculis, mutilus manibus cruribuſq́; iaceret; aut ſi cuipiam pro humanis membris variarum membra ferarum ſuppeterent. Sanè quidam Sanctus Epiſcopus, cuius eſt apud Ruffinum mentio, vidit facies eorum quibus Gratia Divina inerat, nive candidiores, & formam liberaliſſimam, humana majorem; aliorum verò Gratiâ orbatorum ora, inſtar carbonis nigerrima, cruentos oculos, erumpentes magno impetu naribus & auribus flammas, cum ingenti horrore ſpectavit. Quæ vmbræ ex fœditate rerum ſenſibus patentium deſumptæ, quamvis omnes in vnum confluerent monſtrum, nequaquam exprimerent abominandam ſpeciem hominis labe mortiferâ infecti; alioquin, ſi per ſe videretur, ſpectantes horribili conſpectu exanimaturam.

V. Annuæ literæ Societatis noſtræ referunt: quendam ex perpetrato adulterio, tantam totius oris deformitatem retuliſſe, vt ab vxore omnibuſq́; fugeretur domeſticis, ac domo ab iis arceretur? Quod ille admiſſo flagitio prudenter tribuens, mox ad ſalutare Sacramenti Pœnitentiæ confugit remedium; ſed cum illum Religioſi quoq́; viri ob horrendam monſtroſitatem fugerent, agnitus demum à quodam DEI famulo, & ritè de peccatis auditus, illico mutatus in alterum, decenti formæ elegantiâ, attonitos reddidit hujus rei conſcios. *Ecce quàm pulchra es amica mea*, Anima inquam mea, *quàm pulchra es?* cum DEO grata vivis, cuius imaginem inſtar limpidiſſimi ſpeculi expreſſam reddis. quam de ipſamet æterni ſolis præſentia atq́; ſui ſtantia concipis? quàm verò fœdum, horridum, ac execrandum monſtrum es, dum illius pignoris candorem, derivatumq́; à Gratia decus projicis; qua vna DEO aut ſervatâ places, aut amiſſa non potes non eſſe execrabilis?

 VI. In-

VI. Insuper discrimen inter hominem gratiâ præditum, eâq; privatum, tantum est, quantum cernitur inter vivum & mortuum. Tolle animam, quid iudicio sensuum execrabilius corpore? cum in locum vitæ, necessariò succedat pondus inutile, cæcum, fædum, immobile, sensu actuq; omni carens, pestilentem putorem longè spargens, effluentibus virulentam tabem intestinis, abominandum deniq; Carcinoma. Iam verò tolle Gratiam, ah quàm horribilior fædiorq; animæ ictu mortifero peremptæ, species? Narrat B. Antoninus 4. par: tit: 14. Cum quidam Monachus habens Comitem viæ in humana specie Angelum, incidisset in putidum cadaver, mox illum nares appresso pallio obturasse, è contra Angelum ne quidem gravitatem fætoris advertere & apprehendere visum: cum verò haud longè inde cirratus probèq; comptus Iuvenis illis occurrisset, tum demum Angelum manibus nares obturasse, mirantiq; Monacho respondisse: *Fætorem cadaverum Angelis non esse molestum: sed animæ letali crimine peremptæ, cuius teterrimus ac impurissimus odor, totam cæli Aulam averteret.* Nec absimile est, quod habetur in vita S. Catharinæ Senensis; quæ cum Senis degeret, summè torquebatur eorum graveolentiâ, quos Romæ, quamvis tot milliaribus distaret, gravis aliqua inquinaret culpa. Porro accedenti ad colloquendum nobili cuidam mulieri, omnibus aliàs munditijs excultæ; adduci non potuit, vt verbum redderet; quod, vti postea Confessario indicavit, præ dira Mephiti, quam mulier halabat, ex cadavere animæ, vix potuisset consistere, nedum confabulari aut colloqui. Nam, vt ait S. Basilius Orat: 3. de pecc: *Sicut fumo apes & columbæ fætore, ita cælestes Gentii tutelæ nostræ Præsides, peccato à nobis arcentur, ac nos veluti putidum cadaver abominantur.* Nam id potissimùm naturam Animæ evehit, quòd referat imaginem DEI, immortalitate, vi intelligendi, indivisibili substantia, etsi per totum Corpus diffusa; vbiq; tamen Corporis, tota & integra. Verùm hæc tota imitatio DEI, dum vita DEI & Spiritu caret, meritò mortua, & putidum cadaver censeri debet.

VII. Huc servit illud quod tradit Thomas Bosius tom: I.

II. de Sign:

l. 11. de Sign: Eccleſ: cap: 16. Anno Domini 1298. Rex Tartatorum Caſſanus, ſeu Magnus Cham, cùm, ducentis Equitum millibus Syriam & finitimas regiones cepiſſet, omnibuſq; Regibus vicinis evaſiſſet formidandus, petijt à Rege Armeniæ, dari ſibi vxorem, eius Filiam, quam omnium mulierum pulcherrimam eſſe audiverat. Rex Chriſtianus tanti Regis Ethnici viribus exterritus, dedit. Illa, poſt aliquod tempus è viro ſuo Caſſano, edidit in lucem partum miræ deformitatis: quem Rex maritus nullo modo ſuum agnoſcens, quòd videretur monſtrum fœdiſſimum; vocatis ad Conſilium primarijs; de ipſorum ſententia, vxorem velut adulteram & partum, veluti ex adulterio ſuſceptum, vltimo ſupplicio adiudicavit. Innocens mulier ſuam deplorans infelicitatem, ad preces confugit; ignaraq; alterius conſilii, petiit, vt ſibi liceret Filium, quem genuerat, baptizare. Data ei facultas, ita tamen, vt adeſſent baptiſmo, aliquot ſpectatæ fidei viri, vnà cum Rege; ne aliqua fraus interveniret. Mirum dictu! vbi baptizatus eſt puer, adeo venuſtus ac formoſus apparuit, vt Rex tanta re permotus, cum plurimis nomen DEO vero dederit, & maximum rei Chriſtianæ factum fuerit incrementum. Is effectus erat Gratiæ ſanctificantis; cuius abſentia vel præſentia quid intus operaretur in anima, demonſtrabat ad extra in Corpore.

VIII. Mirum profectò, quomodo ſtultiſſimi ac vecordiſſimi mortales, poſſint credere, poſt tantæ rei diſpendium, poſt iacturam felicitatis ad ordinem Divinum evectæ, vitam ſibi vitalem ineſſe? quo pacto non rumpantur nimiâ doloris rabie? quomodo ſe dentibus vnguibuſq; non diſcerpant? quin potius ita occaluerunt, vt licet ex illo tam ſublimi & Sancto Divinè exiſtendi gradu, immani ruinâ devolvantur, tamen eos vix leviculus tanti caſus dolor tangat; immò ita apud illos viluit gratia, vt paſſim miſerè, ſacrilegèq; proculcetur. Vtinam verò tandem ſaperent, ac ſuam plusquam ſtolidam intelligerent corrigerentq; vecordiam, qui cum fatuè declinent calamitates, vitæ mortalis deſtructivas; toto interim pectore letales ictus huic vitæ Divinæ noxios excipiunt, vitroq; pe-

ctus in illos induunt; dum, voluptatis, lucelli, ac fumi studio, in DEI offensam rapiuntur. Tu verò, cui lux melior affulsit, cautior factus damnis aliorum; hoc vnum time, ne quid vnquam te à DEO eiusq; Gratiâ separet; quam tanti est in tuto conservare, vt totis artubus contremiscere te oporteat, dum vides, posse illam aliquo casu deperdi. *Cætera*, inquit S. Gregorius Nissenus, *pro vmbra, ludibrijs & somnijs ducamus, cum nihil sint ex adverso Gratiæ.* Non parcunt alii immanissimis sumptibus, laboribusq;, immo periculis, vt modico potiantur lucro vel honore: pudeat te exili operæ parcere, vt precando, edendo etiam, immo dormiendo, ac denuò vbiq;, acceptam Gratiam accumules. Sit tibi familiare illud vnum ex multis S.P. Ignatij, æquè Majorem DEi gloriam, ac Majorem ejus Gratiam zelantis, alloquium: *Suscipe Domine vniversam libertatem meam. Accipe memoriam, intellectum, & voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, id mihi largitus es; id totum tibi restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solùm, cum Gratia tua mihi dones, & dives sum satis; nec aliud quidquam vltra posco. O vere satis dives sum, cum Gratia, & locupletatus, & nullius egeo:* absq; illâ miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: quin exlex bellua, fœdissimum monstrum, exangue cadaver.

IX. Tanta deniq; est fœditas Animæ Gratiâ DEI privatæ, vt maior nec à DEO concipi possit, non tantùm, quia à Spiritu S. vocatur tenebræ, quibus nihil tetrius; destruitq; omnem animæ pulchritudinem, quæ illi a Gratia inest. Sed etiam, quia illi, nescio quam teterrimam inurit maculam. Inclytæ D. Dominici Familiæ Alumnus, Alanus nomine, natione Anglus, postquam horribiles dæmonum formas, in gravi ægritudine aspexerat, postea tandem convalescens dixit: *si tantus ignis accenderetur, quanta est magnitudo totius orbis terræ, dareturq; mihi optio, aut per medium illum transeundi ignem aut tetros dæmones videndi; eligerem potiùs primum, quàm alterum.* B. Ægidius S. Francisci Discipulus, ad horrendam Dæmonis oblatam sibi speciem, tanto terrore correptus est, vt loquendi facultatem prope amitteret, cordeq; duntaxat DEVM rogare posset, qua-

tenus

tenus experiretur; verè Sanctum Franciscum dixisse: *Formam Sathanæ tam esse immanem & horridam, vt nemo hominum ad spatium Dominicæ precationis, possit eam salvâ Vitâ intueri, nisi Divinitus confirmetur.* Et tamen, quidquid tetri & horridi ab illo potest nostris objici oculis; vmbra est ac veluti exterior delineatio ejus turpitudinis, quam à peccati macula contraxit; naturalibus in eo donis manentibus integris. Pari ergo ratione discurrendum, de Anima peccatrice, Gratiaq; DEI destituta. Hinc in primitiva Ecclesia, omnes ferè, qui post baptismum susceptum letali sese culpa fædaverant, (vt notat Cornelius à Lapide, ex S. Dionisio Areopagita & S. Cypriano) corripiebantur à Dæmone, vt ex regressu tam deformis hospitis, qui per Baptismum & Confirmationem expulsus fuerat, turpitudo Peccatricis Animæ notaretur, hominesq; deterrerentur à peccando. Vnde si omnes homines ac Dæmones conspirarent in perniciem alicuius, & prout egerunt cum Iobo, omnia quæ possunt cadere in Animam crudelem, tormentorum genera in illum exercerent; non tantam illi crearent perniciem, quantam ipse sibi, dum graviter peccans, Animæ suæ vitam supernaturalem eripit, Quia cætera mala sunt ordinis inferioris, naturamq; duntaxat lædunt; peccatum verò & non esse Gratiæ in Anima, est ordinis superioris; malum scilicet DEI, quem de medio tolleret, nisi DEVS ex natura sua esset omni telo impenetrabilis; cum sit essentialiter indestruibilis ac immortalis.

MEDITATIO III.

De mediis Homini ad finem conducentibus.

Præludi I. Imaginare Parentem aliquem opulentum, qui Filium suum mittens in vrbem aliquam studiorum causa, abundè illi providet de cunctis ad hunc finem necessariis, non ideo vt ludat vel otietur, sed vt magis commodè studiis incumbat.

Prælud: II.

Prælud: II. Pete gratiam à DEO cognoſcendi ejus erga te charitatem, qui tanquam Pater miſit te in hunc Mundum, vt ſtudeas cognitioni & amori illius; quod vt commodè præſtare poſſis, media tibi ad hoc neceſſaria providit.

PVNCTVM I. Sicut Dominus DEVS, omnibus aliis rebus creatis talia dedit media, quibus poſſint pervenire ad fines ſuos: atq; ita ſoli & lunæ dedit vim illuminativam ad illuminandum; igni dedit vim vſtivam ad vrendum; àëri vim humectativam ad vegetandum; volucribus alas ad volandum, jumentis terram ad ambulandum & alendum, arboribus fæcunditatem ad fructificandum &c. Ita quoq; tibi largitus eſt DEVS media congrua perveniendi ad tuum finem; eaq; duplicia, naturalia & ſupernaturalia. Naturalia quædam ſunt intra te, & quædam circa te. Intra te, hoc eſt, intra tuam animam & corpus, ſunt facultates ſeu potentiæ, inprimis animæ; vti ſunt memoria, intellectus, voluntas, doctrina, habitus ſcientifici &c. deinde corporis; vti ſunt ſenſus omnes, ſanitas corporis, integritas membrorum, firmitas virium &c. Circa te verò ſunt omnes res viſibiles, vt Cælum & in eo ſol, luna, ſtellæ; imô Angeli ipſi, qui ſunt *adminiſtratorii Spiritus, miſſi in obſequium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Deinde ſunt Elementa, vt ignis cum vi calefactiva & exſiccativa. Aër cum tot volucribus. Aqua cum tot piſcibus. Terra cum tot animalibus, arboribus, floribus, mineralibus. His expenſis exclama cum Davide: *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum? Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis. Gloriâ & honore &c. Omnia ſubjeciſti &c.* Age gratias, lauda, invita omnes Creaturas ad collaudandum. Ama, Appretia, ſuper omnia bona creata. Subjice te DEO; & deprime infra illum, ſicut ille omnia depreſſit infra te.

II. Quo verò fine DEVS tot tamque varias Creaturas tibi dedit? Eo nimirum vt tibi ſerviant, imprimis ad commoda & vtilitates tuas, deinde ad meliùs cognoſcendum, amandum, laudandum, colendumq; DEVM. Vnde Creaturæ ſunt

sunt veluti gradus quidam, per quos possis conscendere, & pervenire ad tuum finem. Ideo enim DEVS creavit e. g. solem, lunam, stellas, tum vt homini distinguerent diem à nocte; tum vt influxu suo hæc inferiora pro nostra necessitate afficerent; tum vt nos illuminarent, vivificarent. Homo verò, vtpote rationis & libertatis capax, debet inde excitari & assurgere ad cognoscendum & appetendum solem illum increatum, & à se; qui à nullo principio dependet, ab illo verò dependent omnia. Similiter ideo DEVS creavit terram, & in ea tot animalia, tot plantas & herbas, item in àere tot volucres, in aquis tot pisces; vt hæc omnia serviant homini, tum ad victum & amictum, tum ad sustinendos labores, tum ad recreationem aliosq; vsus. Homo verò deberet inde per rationem investigare, & per voluntatem amare & colere Datorem, Conservatorem, Propagatorem horum omnium. Et sic de reliquis Creaturis, tum intraneis tum extraneis Homini, quarum vsum DEVS, in tuum commodum, tuamq; vtilitatem convertit modum & intentionem vtendi illis servando sibi, & ad seipsum vltimò ordinando. Expende jam quomodo omnes aliæ Creaturæ satisfaciunt semper fini suo; sol & luna illuminando, & noctem à die distinguendo; stellæ influendo, terra fructus & herbas producendo, aqua tot pisces generando &c. Verbo: omnis Creatura agnoscit te pro Domino servitq; tibi vsq; ad destructionem sui; tot jumenta, tot volucres, piscesq; in tuam necessitatem, labore perpetuo atteruntur, mactantur, consumuntur; tot arbores plantæq; excinduntur, flores fructusq; ex eis provenientes absumuntur, &c. Tu verò quomodo hactenus vsus es istis creaturis? ad laudemne DEI & amorem; an verò illis abusus ad contemptum & despectum? Dedit tibi DEVS creaturas, vt illis vtereris tanquam mediis ad illum noscendum, amandum, colendum. tu verò in illis vltimum finem posuisti, dum illas plusquam DEVM, ejusq; Sanctissimam voluntatem amasti. Dedit, vt per illas tanquam per gradus quosdam in cælos conscenderes; tu verò ex illis construxisti tibi scalam, per quam in infernum descenderes. Dedit,

dit, ut tibi servirent, & tu fecisti teipsum illarum servum. Erubesce. Iudica, an æquum fuerit malum pro bono, injuriam pro gratia reddere. Mirare malitiam tuam; & Patientiam DEI, quæ te non modò non projecit; sed etiam attraxit ad se. Dole, veniam precare, emendationem propone

III Cum media debeant esse proportionata suo fini; nemo enim ad navigandum utitur equo, vel ad equitandum navi, sed è contra: quia ergo finis hominis est supernaturalis; hoc est solis naturæ creatæ viribus non attingibilis; nam videre intuitivè DEVM, eoq; ita cognito perpetuò frui, atq; gaudere; superat prorsus omnes naturæ creatæ vires: ideo DEVS ad obtinendum talem finem, abundè nobis providit media proportionata: nimirum supernaturalia, eaq; duplicia; Extranea & Intranea. Extranea ad duo capita revocantur, ad Christum & MARIAM: Sicut enim olim populo Israelitico dedit duas Columnas, quæ illum ducerent ad terram promissionis: Columnam nubis per diem, & columnam ignis per noctem. Ita quoque nobis Christianis, dedit Christum tanquam columnam nubis, cum ejus cælesti doctrina, exemplis virtutum, miraculis, cum ejus passione, morte ac meritis; cum Sacramentis ab eo institutis, sacrificio, regimine Ecclesiastico &c. Dedit quoq; MARIAM Virginem Deiparam, tanquam columnam ignis, tanquam mediatricem & advocatam nostram; ordinando, vt omnia per illam habeamus; & nemo salvetur nisi per illam. Illa ergo tenebras nostras illuminat, illa frigus tentationum arcet, illa iræ Divinæ tela removet, illa fovet, protegit, gratiarum dona impetrat &c. Intranea quoq; media duplicia sunt: Habitualia & actualia. Habitualia sunt: Gratia sanctificans, habitus virtutum infusarum, tum Theologicarum, tum moralium; qui nobis in Sacramentis potissimùm, vna cum gratia sanctificante à DEO ob merita Christi infunduntur. Actualia verò, sunt sanctæ illustrationes intellectûs; & piæ affectiones voluntatis; quibus nos DEVS interiùs excitat ad omne bonum, & avertit à malo. Si ergo multùm debes DEO pro donis naturalibus, in duobus illis punctis enumeratis; quantùm debebis

bebis pro supernaturalibus? quorum vnumquodq; etiam minimum, superat suâ magnitudine & excellentia, omnia illa etiam collectivè sumpta. Expende jam, quomodo hactenus istis mediis vsus fueris, ad salutemne animæ tuæ, an vero ad perniciem, ad majoremne honorem & cultum DEI, an verò ad contemptum.

In Colloquio. Erubesce. Dole. Gratias age. Mirare patientiam DEI. Deprecare. Emendationem propone. Auxilium posce per summam bonitatem & dignitatem DEI, per merita Christi, B. V. MARIÆ.

Pater noster, Ave Maria, Credo &c.

DIES SECVNDA

Dedicanda IESV Christo DEO Homini in gratiarum actionem pro beneficio Incarnationis Filii DEI, & ad Fidem S. Vocationis; in satisfactionem pro peccatis contra tres Animæ potentias, & contra Fidem, Spem, Charitatem commissis; ad impetrandas efficaces Gratias Gentilibus & Iudæis, vt fidem sanctam amplectantur; & obstinatis peccatoribus, vt tandem resipiscant.

MEDITATIO I.

De peccato mortali.

Prælud. I. Imaginare Dominum DEVM, tanquam Regem tremendum, circumstantibus Angelis, & SS. Patronis tuis, in throno considentem: te verò tanquam diffamatum de 10. millibus talentorum dissipatis, & læsæ Majestatis reum, ferreis vinculis constrictum, ei præsentari.

Prælud. II. Postula à DEO gratiam, ad agnoscendam malitiam peccati mortalis, dolendum de commissis, & salutarem illorum horrorem; atq; propositum efficax, illa cavendi in posterum, concipiendum.

PVNCTVM I. Si aliquis homo dives ac prudens haberet in suo promptuario, vasa argentea, aureaq;, opere eleganti facta, & lapidibus pretiosis distincta, in quibus multùm sibi complaceret; eò, quòd manu propria, ea elaborasset; ideoq; illa ad primarios mensæ suæ vsus adhibere statuisset: interim in illis vasis adverteret vnam alicuius liquoris venenati, guttam propter quam tantum erga illa horrorem & nauseam conciperet, vt ea statim è suo promptuario proiiceret in sterquilinium, nunquam ampliùs spectanda aut repetenda, sed in odio & abominatione, habenda perpetuò. Quis non judicaret, guttam illam veneni, esse nimiùm perniciosam, abominabilem, ac detestabilem; à qua merito sibi quisque cavere deberet? Quid, putas, homo ille ageret cum vasis luteis, si in eis non guttam, sed copiam talis liquoris grandem deprehenderet? Rex ille sæculorum habuit nobilissimas in promptuario cæli Creaturas Angelicas, multis naturæ & gratiæ donis adornatas; in quibus multùm sibi complacebat, tanquam in opere, ex omnibus naturæ operibus præstantissimo: sed postquam in eis reperit vnum mortale, superbiæ ac elationis peccatum; tanto adversùs illas exarsit odio, vt eas repentè de Cælo, in baratrum inferni præcipitaverit, sine vlla spe misericordiæ vnquam illis exhibendæ. Crede id firmiter. Approba judicia DEI dicens: *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Admirare, ac time inscrutabilem ipsorum profunditatem, cum Apostolo exclamans: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus.* Confer te ipsum cum Angelis, tuaq; innumera, cum vno illorum peccato. Adora & ama longanimitatem DEI, qui esto in te, luteo vase tot venena deprehenderit; tamen tibi *oculus ejus pepercit.* Detestare tuam malitiam. Dole pro illa. Propone quàm diligentissimè in posterum evitare quodvis grave peccatum; ne fortè incurras similem indignationem, iramq; DEI; ne *proiiciat te à facie sua &c.*

II. Si aliquis Rex potens, mendicum è fimo levatum, in aulam suam adsciret, totiq; domui præponeret; omnia bona

sua,

sua, in manus ejus tradendo, vt de illis, pro suo placito disponeret, ijsq; vteretur; excepto hoc vnico, ne vllam cum capitali Regis hoste communicationem haberet. Interim Rex advertens mendicum illum semel familiariter alloqui hostem suum, ab eoq; munera accipere; indignatione commotus, mendicum è palatio ejectum traderet tortoribus, horribili cremandum igne; sed tamen ejus, ad instantiam Filij sui, misertus, à rogo liberatum, ferreis compedibus juberet constringi; atq; ita durissimis laboribus & ærumnis diuturnis, vnà cum suis Filiis addiceret. Quis non judicaret, illam cum hoste communicationem, esse Regi nimiùm odiosam? Quis ex Aulicis Regis, auderet in posterum, Rege inspectante, cum ejus hoste colloqui, & versari familiariter, atque ab illo, muneris loco, aliquid accipere. Rex ille immortalis, Adamum, primum Parentem nostrum, è limo terræ, manu sua formatum, & plurimis tum naturæ, tum gratiæ donis auctum, in palatio paradisi collocaverat, dominumq; totius orbis constituerat; omnia pedibus & imperio ejus subijciendo. Prohibendo interim, ne fructum è ligno vitæ ad ullam cujusq; persvasionem, attingeret comederetq;: alioquin propterea atroci mulctandus morte. Adam nihilominus ad persvasionem Diaboli, Capitalis hostis DEI, fructum ex arbore Vitæ decerptum comedit. Quid ergo inde secutum? En propterea vnà cum omnibus posteris, morti temporali & æternæ à DEO adjudicatus. Cui procul dubio fuisset traditus, nisi Filius DEI pro eo supplicasset, & morti acerbissimæ se obtulisset. Cujus intuitu, condonavit quidem DEVS Adamo mortem æternam & rogum inferni: sed tamen eum omnibus gratiæ donis exuit, è paradiso loco voluptatis ejecit, ad gravissimas & diuturnas miserias, ad duros 900. annorum labores, ad sudorem vultûs damnavit: morte denique temporali punivit. In posteros autem ejus, famem, sitim, bella, morbos, tentationes, miserias, afflictiones, mortem deniq; temporalem immisit: comminando eis, quòd si aliquid simile, atq; Adam auderent, in æternas illos esset flammas præcipitaturus. Excita circa hoc actum vivæ fidei! Mi-

rare insaniam hominum, qui cum hæc sciant, audent cum DEI hoste habere commercium, & ad ejus persvasionem, mandata DEI toties transgredi. Time de te horribilia judicia DEI. Age illi gratias, quòd te tamdiu toleraverit. Apprehende, nullum locum esse jam securum; siquidem & Angeli in Cælo, & Adam in paradiso, cum tantis donis ceciderunt. Statue *cum timore & tremore, salutem tuam operari.*

III. Si Parens quispiam sapiens, suosq; Filios tenerrimè amans, aliquem ex illis, ob vnam maculam, vltro in oculo vel manu admissam, justo zelo correptus, ex longa prudentiq; deliberatione, in fornacem ardentem projiceret; ibiq; diu sineret gravissimè torqueri, ita; vt etiamsi videret atroces illius cruciatus, audiretq; lamentabiles gemitus; tamen non solùm illius non misereretur, neque illum inde extraheret; sed etiam constrictum catenis, juberet in illo igne diu detineri; imò ipse materiam pro igne suppeditaret, eumq; flatu suo succenderet. Quid putas, quantùm illi Parenti ea macula filium deturpans displiceret? quantopere esset à reliquis cavenda filijs. Nullus Parens, ita tenerè filios diligit, atq; Bonus DEVS animas humanas: siquidem propter illas, nec Filio suo pepercit; sed eum atrocissimæ exposuit morti. Et tamen ille advertens in anima humana labem peccati mortalis vnius, alteriusvè; ob hoc ipsum, eam in fornacem inferni detrudit; nec inde eliberat, cum possit, sed ipsemet ignem illum succendit, atq; damnatam in æternum torquet, torquebitq; tamdiu, quamdiu DEVS durabit. Quanta igitur debet esse fæditas illius maculæ? quanta insania ejus, qui ipsam vltro incurrit? Et tamen ô quot homines propter vnum alterumvè peccatum mortale solà cogitatione admissum ardent in inferno, ardebuntq; in æternum! Quia non æqualis peccatorum mensura cuiq; destinatur; qua impleta pereundum est. Quorum cruciatus esto videat DEVS, & illorum gemitus & lamenta audiat; tamen illorum non miserebitur vnquam.

In Colloquio, Admirare DEI circa te longanimitatem. Accusa tuam malitiam & enormem stultitiam, quòd fueris effreni

freni equo insanior. Quis enim equus ita præceps vadit, vt ad aspectum ruentis contra se fulminis non sese sistat, neq; se detineat in cursu. Et tamen tu videns coram te fulmen illud: *Discedite à me maledicti*: videns apertum infernum; toties in foveam peccati mortalis te præcipitasti; certò sciens, si in hoc moriaris, in baratrum inferni te casurum. Roga DEVM vt tibi aperiat oculos, & freno sui timoris te contineat: præsertim quia nescis, an post vnum alterumvè passum, quem peccando facis, non rues jam in æternum illum inferni puteum.

Miserere mei DEVS &c.

EIACVLATORIÆ
per diem vsurpandæ.

I. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

II. Pater peccavi in cælum & coram te, non sum dignus vocari Filius tuus.

III. Malo mori, quàm vllo peccato fædari.

DOGMA MATVTINVM
Vnde cognoscendum, quòd aliquis vivat per Gratiam DEI?

HOc, præter cætera, discrimen est, inter naturalem corporis, & supernaturalem Animæ Vitam; quòd de illa certissimè nobis constet; utpote quam tot signa, tot motus tot actiones demonstrant. Quis enim vivens non experitur se vivere? certè qui de hoc dubitat, insanus est: nam ipsa sua dubitatio, quæ actio vitæ est, signum præbet evidens, quòd ille, qui dubitat, vivit; nam si non viveret, dubitare non posset. Vita autem Gratiæ an insit animæ, non est nobis æquè compertum; nempe, quòd nec evidentiâ scientiæ, nec Fidei certitudine cognosci possit. Id quidem scientia ideo non assequitur; quia illa rem, aut per

causam,

causam, aut per effectus venatur: Causa autem Gratiæ seu vitæ supernaturalis, est voluntas Divina beneplacens & perfecta, ad quam cognoscendam nulla ratio naturalis ascendit. *Quis enim cognovit sensum Domini.* Rom: 11. Effectus verò Gratiæ adeo sunt occulti, vt eos neq; sensus percipiat, nec apprehendat cogitatio, nec ipse intellectus, an à Gratia nos DEO gratos faciente dimanent, assequatur. Neq; verò etiam Fides Divina movet ad credendum, nos habere Gratiam & amicitiam DEI: licet enim sit dogma Fidei, eum, qui vt oportet detestatur peccata, vel Sacramenta suscipit, adipisci Gratiam DEI: tamen hæc opinio, quæ profitetur, me, vel quempiam alium habuisse prout par est, sufficientem hanc detestationem, vel ad Sacramentum dispositionem, est nonnisi moraliter certa, adeoq; falsitati ac deceptioni obnoxia: ex hac autem opinione non elicitur certa nostræ Gratiæ cognitio; sed probabilis duntaxat, ac verisimilis quædam conjectura. Merito igitur Salomon in Proverbijs c. 20. inclamat: *Quis potest dicere. Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et iterum Ecclesi. 9. dicitur: *Sunt justi atq; sapientes, & opera eorum in manu DEI; & tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Quæ verba dum secum D. Bernardus accuratiùs perpenderet, tremere se solitum, ac sibi præ horrore comas erigi profitetur, sicq; de se, scribit serm: 23. in Cant: *Terribilis est locus iste, & totius expers quietis; totus inhorrui, si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam; Quis scit, si est dignus amore an odio?* Similis est illa Spiritus S. ore prolata Parenesis. *De propitiato peccato noli esse sine metu* Eccles: 5. Quia videlicet, an sit propitiatum, tibiq; dimissum, ignoras: quemadmodum ignoravit simplex ac rectus Iob. cap: 9. *Si, inquit, justificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentiam ostendero, pravum me condemnabit; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Meritò ergo Tridentina Synodus Sessione 6 cap: 9. Can: 14. anathema dicit Hæreticis, asserentibus: Nos, (seclusâ speciali revelatione DEI) certò & ex fide credere, gratiæ vitam, & amicitiam DEI accepisse, cujus noti-

onem

onem tot impedimenta minùs certam faciunt, totq; dubitationes obscurant, adeo, vt quisq; justus, possit illam Davidis precationem sibi assumere. *Delicta quis intelligit, Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Quoniam ipsa quæ nescimus, nos sæpe maculant, nisi DEVS, qui occultorum est cognitor, quæ sibi displicent, occulta detergat. Ea quippe conditio Amicitiæ viatorum est, vt quia illorum cognitio est obscurior, etiam amor non careat sua formidine. Et certè si rarus vel nullus amicorum in amicitia humana certus est de alterius erga se benevolentia; cum natura se quærat in omnibus, & pauci reperiuntur, qui intus ii sint, quos exteriùs sese produnt: quid ergo mirum, si de mutua DEI in nos & nostra in DEVM benevolentia, certi esse non possimus? Quodsi dixeris: Scio me amare DEVM: Non repugno: at enim quomodo scire potes, vtrum hic Amor sit naturalis, an supernaturalis charitatis, quæ sola iustificat?

Verùm licet ita sit, nos de Gratia ac spirituali Vita animæ, omnino absq; hæsitatione certos esse non posse: non tamen sine vllis testimonijs amicos suos DEVS reliquit, quibus erga illos declararet divitias misericordiæ suæ, ipsosq; vitam spiritualem habere sufficienter ostenderet. Liceat ergo hîc pro consolatione Iustorum, & in gratiam hujus præstantissimæ, qua Iusti vivunt, Vitæ, aliqua indicia seu conjecturas moraliter certas, ac Vitæ spiritualis effectus producere: idq; ideo, ut hoc præstantissimum donum, quod nobis inesse ex hujusmodi indiciis coniectamur, toto conatu ac diligentiâ servemus & augeamus.

I. Igitur Coniectura, quod Gratia DEI vivamus, est odium & detestatio efficax peccatorum præteritorum, in generali consideratorum, dolorq; de eis, cum serio emendationis proposito. Nam vt ait S. Bernardus serm: 3. de Adven. D. *Diligit DEVS animam, quæ in conspectu ejus, & sine intermissione considerat, & sine simulatione dijudicat semetipsam.* S. verò Chrysost: Contritionem vocat illud labrum æneum de speculis mulierum fabrefactum, & in introitu Vitæ spiritualis collocatum, in quo est aqua doloris & lacrymarum, quâ munderis; est speculum, in quo

 in quo

in quo tuam aspicias immunditiam. Hujus verò odii ac detestationis peccatorum, testis esse debet dolor, summo cum fervore, quàm creberrimè excitandus, juxta solitam Actûs Contritionis formulam, communiter à Theologis approbatam, quam subjicio. Domine *DEVS meus, quem super omnia bona summè amo, diligo, appretio, & propter teipsum solum æstimo; detestor omnia peccata mea super omnia mala; quia te illis DEVM meum, prout es in te summè bonus summèq; perfectus, offendi; ideo nunc doleo de illis, & propono firmiter cum tua gratiæ auxilio seriam emendationem; voloq; facere omnia quæ à me fieri, & vitare omnia, quæ à me vitari vis. Insuper ideo illa detestor, quia peccando non obedivi tibi, supremo meo Domino; eumq; tibi cultum non exhibui, quem debeo, prout es Primum Principium Creationis & Gubernationis mei, atq; excellentissimus author Gratiæ & Gloriæ: quia jus tuum supremum, quod habes, ne ab ulla Creatura offendaris, peccando violavi.* Si ergo hunc dolorem quis experitur, si hoc odium peccatorum habet; non temerè opinari potest, se à peccatis erutum, & Gratiam ac Vitam animæ esse consecutum. Porro hic dolor de peccatis, omnibus quidem est necessarius; maximè tamen Religiosis, quorum status, est status Pœnitentiæ, ut docet Sanctus Thomas. Ideoq; S. Ioannes Climacus Grad: 21. Monachum appellat jugem excessum mentis ac mœrorem Vitæ; præsertim ob peccata propria, quorum memoriam, ibidem ait, esse humilitatis opificem. Neq; vero gravia duntaxat, sed etiam venialia deflenda sunt delicta: uti faciebat, teste S. Hyeronimo, B. Paula ejus discipula, quæ ita levia plangebat peccata, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.

II. Conjectura est stabilis, ac firma, & quasi inconvertibis voluntas non perpetrandi aliquod grave peccatum, etsi aliquis timeat aut propriæ vitæ, aut omnium rerum creatarum jacturam. Talem constantiam exigit ipse DEVS, & S. Brigittam l. 1. c. 14. instruens commedat: *Sunt*, inquit, *qui plus timent peccare & offendere voluntatem meam, quàm de aliqua pœnas magisq; libenter cruciarentur in æternum pœna intolerabili, quam me provocarent scienter ad iram. Tu nullum peccatum puta leve, nullum negli-*

negligendum. Et certè: *ſi Omnis, qui natus eſt ex* DEO *peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex* DEO *natus eſt*, ut ait Ioannes Apoſtolus 1. Ioan. 3. Non ſolùm ex eo, quòd vitet omne peccatum actuale, verum etiam ideo, quia quatenus retinet ſemen Divinum, & in DEO manet, ex quo natus eſt, vel prout loquuntur ſcholæ, in ſenſu compoſito & hypothetico, non admittit voluntatem peccandi: qui hanc in ſe firmiſſimam voluntatem ſentit, atq; deſiderium famulandi DEO, eiusq; mandata obſervandi adeptus eſt, magnam habet ſuæ in DEO manſionis fiduciam, atq; adeo Vitæ ſpiritualis conjecturam.

III. Conjectura eſt Teſtimonium propriæ Conſcientiæ non increpantis nos, neq; adverſus grave aliquod peccatum oblatrantis; præſertim poſt adhibitam pro Virili eam in obeundis Sacramentis diligentiam, quæ ſufficit judicio prudentis Confeſſarii. Hoc argumento ſolatur ſuos diſcipulos Apoſtolus 1. Ioan. 3, *Charissimi*, inquit, *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad* DEVM, *& quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus cuſtodivimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.* Nam ideo nobis DEVS impreſſit conſcientiæ motum, Vt diſtorta dirigat. iniqua corrigat, reprehendat prava, bona approbet, & ad meliora ſemper inſtiget; atq; vt nonnemo ait, ſit ante peccatum, frenum; poſt peccatum flagellum, Si ergo hæc importuna accuſatrix, & delicata actionum noſtrarum inſpectrix, nullius nos criminis arguit; conjectura eſt, & probabili perſvaſione fulta fiducia; nos placere DEO, & Gratiæ ſpiritu vivere, atq; nobis animos poſſe addere cum Apoſtolo 2 Corint. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium Conſcientiæ noſtræ*, nec de preterita, nec de præſenti culpa, nos remordentis. Vnde S. Auguſtinus in illud Pſalmi 49. *Exultabunt Sancti in gloria. Eſt quidam modus*, inquit *in conſcientia gloriandi, vt noveris fidem tuam eſſe ſinceram, noveris ſpem tuam certam, noveris charitatem tuam eſſe ſine ſimulatione.* Ita S, Antonius fidens ajebat: *Ego* DEVM *meum non timeo, ſed amo.* Et ille pauper apud Taulerum dicebat: ſe in DEO ſecurum conqnieſcere. Cæterum

rum modestè huic testimonio Conscientiæ fidendum est; illudq; ejusdem Pauli cogitandum 1. Corint. 4. *Nibil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; quia qui judicat me, Dominus est.* Illud quoq; Augustini. *Debet quisq; cum tremore exsultare; quia donum DEI est, unde exsultat, non meritum suum. Etenim sunt multi sibi placentes, & justos se esse arbitrantes: sed quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur, se mundum esse à peccato.*

IV. Conjectura est Testimonium Spiritus S. qui interdum latenter mentibus justorum loquitur, & testificatur; ipsos Gratiam & amicitiam DEI consecutos. *Ipse enim Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus Filij DEI.* ad Roman: 8. Verùm & hæc Spiritus S. testificatio, non est certa certitudine Fidei, vt volunt Hæretici, nec etiam certa certitudine infallibili, vt volunt, Catharinus & Cajetanus: sed tantùm certa est certitudine Conjecturali: quæ tamen certitudo cum sanctitate & bonis operibus, pari passu incedit, adeo, vt nonnulli, quos noster Pererius sequitur, existiment, aliquos Viros Sanctos, sine speciali DEI revelatione, ex signis & effectibus Spiritus S. quos valde crebros clarosq; & efficaces in se experiuntur, habere certitudinem, non quidem infallibilem, ita vt ausint jurare, se esse in gratia DEI; sed talem & tantam, quæ omnem metum & formidinem oppositi excludat. Hinc illud S. Cypriani libro contra Demetr: *Viget*, inquit, *apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas seculi labentis ruinas, erecta mens, & immobilis virtus, ac de DEO suo semper anima secura.*

V. Coniectura est, multo tempore grave peccatum non perpetrasse. Gratia namq; non solùm est multorum fæcundissima bonorum; sed etiam ad depulsionem malorum ita potens, vt anima ejus viribus munita, dicatur *ordinata Castrorum acies, & equitatui Pharaonis quàm simillima,* ob innumeros à S. Bernardo, serm: 39. in Cantica, & instructissimos virtutum, quibus pugnat & vincit, manipulos. Est lux, quæ tenebras pellit: est medicina, quæ morbos animæ propulsat: est aqua purissima, quæ sordes omnes eluit. Potuit quidem natura humana, si prout erat à DEO condita, stetisset integra, communibus

freta

freta auxiliis, omnem peccati gravioris labem devitare; cæterum post amissam hanc integritatem, nisi Gratiæ Divinæ habitu, & præsidio cælesti speciali firmetur, expers letiferi lapsûs diu esse non valet. Porro causam hujus impotentiæ refert Divus Theologorum Antesignanus lib. 2. q. 109. a. 8. & 9 in Contumaciam nostræ Voluntatis rationalis ægrè DEO subiectæ; quæ pravis cupiditatibus in transversum abrepta, quia sæpius à DEO & à recto declinat, facit, vt contracto habitu Divinis præceptis opposito, vitiosæ ac in malum propensæ, sensitivæ voluntati, diu non possit reluctari, nisi antidoto Gratiæ Divinæ speciali correcta, retineatur in officio erga DEVM. Confirmat hoc ipsum S. Gregorius homil: 11. in Ezech. aitq; *Peccatum, quod citò Pænitentiâ non deletur, suopte pondere in aliud trahere*: cui peccatorum Catenæ crebris quotidie nexibus deorsum trahenti & præcipitanti, minatur Propheta: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Sed ruinam hanc sistit Gratia, & rupta catenâ istâ, vindicat homines in libertatem filiorum DEI, offensam Patris vbiq; timentium. Qui ergo pluribus annis, quantùm sibi consciùs est, ad peccatum grave non pertrahitur. certam potest habere spem, se non esse mortuum in anima; sed DEO vivere. Sicut enim Corpus animâ destitutum non potest diu non fætere, aliaq; indicia privationis Vitæ monstrare: ita anima DEO mortua, non potest diu signa spiritualis mortis non ostendere, & multo tempore non emittere alicujus peccati fætorem. Si alicubi, certè in Religiosis maximè, conjectura hæc locum habet, habereq; debet: nempe qui mortui peccato, justitiæ vivunt, Vitamq; in Christo absconditam habent; atq; vt *cadunt rariùs, surgunt velociùs, irrorantur frequentiùs*; ita Spiritu Gratiæ animati, mortalia crimina, pejus morte detestantur. Quod inter alios suo probavit exemplo, æquè ante in seculo celebris ac post in Religiosa Vita fervens P. Antonius Padilla, nostræ Societatis; qui extrèmo agoni proximus, cum nimio quodam metu percelli ac deijci videretur, quæsitus: Num Conscientia mortalis alicujus peccati, causa esset timoris illius? semimor-

cuâ voce exclamavit: IESV *bone, quid hoc monstri? Religiosus, & peccatum mortale.*

VI. Conjectura est, dum habemus non solùm propriorum peccatorum, sed etiam alienorum sincerum odium, & zelum, prout in nobis, ita & in aliis, extirpandorum. Ita docet S. Basilius Interrog: 296. vbi quærit. Qua ratione persuaderi possit cuipiam animæ, quòd à peccatis sit libera? Et respondet. *Si quis in seipso affectionem illam, similem David, inesse animadverterit; apud quem est, Iniquitatem odio habui, & abominatus sum,* ac verè dicere illud possit: *Non adhæsit mihi cor pravum declinantem à me malignum non cognoscebam.* Deinde hujus peccatorum odii, hoc Signum statuit. Dum aliquis intelligit, se in hujusmodi affectione esse positum, vt etiam adversùs peccantes, admirabilem & horrore plenam Sanctorum Virorum misericordiam illam imitetur: veluti Davidis, apud quem est, *Vidi prævaricantes, & tabescebam.* Et Apostoli Gentium, qui ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror?* Quando ergo aliquis vel in suis vel in alienis peccatis, eo modo affectum se esse animadvertit; tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato; & consequenter se esse in Gratia DEI: cuius amoris honorisq; zelus ita afficit hominem justum, ut non solùm in se, sed etiam in aliis, exosum DEO peccatum, odio prosequatur. Qua de re, benè ait S. Laurentius Iustinian: Fascic: Amor. c. 14. *Non potest non dolere de alienis, qui veraciter de suis plangit peccatis. Quotquot igitur succensi sunt charitatis face, ij proximorum, tanquam propria scelera deflent.* Et S. Augustinus serm: 44. de Verbis Domini: *Gemimus* inquit, *plerumq; in peccatis Fratrum nostrorum, & vim patimur, & torquemur animo.* Ita olim torquebatur & gemebat Moyses: ob quod illum ait S. Chrysostomus fuisse evectum à DEO, ad thronum publici dominatûs. S. verò Franciscus, vt author est D. Bonavent. c. 8. Vitæ, ejus; cum cerneret, animas pretioso IESV Christi Sanguine redemptas, aliquâ peccati sorde inquinari, tantâ illas miserationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam Mater in Christo quotidie parturiret.

turiret. Idem, de peccatis alienis, sensus doloris, in Sancto P. N. Ignatio, nondum Sacerdote, singulariter sese prodebat. Vnum illud præ multis argumento sit; quòd, cum Barcinonæ dando operam literis, noctu oraret in domo Ioannis Paschalis, splendore cælesti è facie prodeunte, cubiculumq; illustrante, circumfusus, elevatusq, ad 5. cubitos à terra, hæc verba ingeminabat: *O Domine; o DEVS cordis mei, o dilecte mi! O si te homines cognoscerent, nunquam te offenderent.* Lancic: de Orat: Opusc. 11, c. 7. Imitatus Patrem primus ejus Socius Petrus Faber, continuam habebat animi tristitiam pro peccatoribus legem DEI derelinquentibus; prout ejus vita testatur. Quid memorem Magnum Indiarum Apostolum Sanctum Franciscum Xaverium, qui dum suis careret, aliena ceu sua lugebat luebatq; crimina; cum Vir ille innocentissimus, Apostolica charitate plenus, non solis lacrymis, sed & sanguine crebris expresso verberibus, noxas proximorum expiaret. Noverant optimè hi Sancti, quod Divæ Catharinæ Senen: dictum est à DEO Patre, Dialog: c. 89. *Pœna cor affligens ex offensa mihi facta & detrimento proximi, fundatur in Charitate sincerissima, pingvefaciens animam, quæ utiq; gaudet ac in se lætatur; quia signum est apertè demonstrativum, esse me in ea per gratiam singularem.* Similis de alienis peccatis dolor, DEI dilectione conditus, calensq; ad ignem charitatis lacrymæ, nos Religiosos, præcipuè Sacerdotes decent, monente Propheta Ioël c. 1. *Plangite Sacerdotes, ululate ministri altaris.* Potissimùm verò iidem affectus doloris tunc frequentandi sunt, dum aliquod peccatum letale, à quopiam esse commissum, sive in Confessione Sacramentali, sive extra illam audimus; deinde dum iter facimus, vel eximus domo, aut cum proximis versamur. Deniq; deplorandus orbis terrarum, multò majore sui parte, DEI cognitione carens, nempe in Asia, Africa, & America; in Europa verò nostra, Iudaismo, hæresi, Schismate, & innumeris sceleribus repletus, quàm inexhaustam suppeditat materiam, incredibilis doloris menti DEVM sincerè amanti, & de ejus honore atq; gloria solicitæ? Immo præter gravia peccata, quæ deploranda

sunt,

sunt, docuit nos verbo & exemplo suo P. Balthasar Alvarez, valde dolendum esse; quòd videamus multa templa adeò vacua hominibus, plateas verò Civitatis adeo refertas, & tam paucos esse, qui accedant ad negotia sua apud hunc Dominum in throno sanctissimæ Eucharistiæ sedentem agenda: cùm hujus rei causâ, nobiscum in terra manere voluerit.

Mitto alias Conjecturas, quòd quis Gratiâ DEI vivat in anima; uti sunt, dum quis continuo & ardenti studio, in perfectione sui crescere, & proficere allaborat; dum per omnia placere DEO, & proximos, præsertim sibi infensos diligere studet: dum rerum mundanarum vanitatem agnoscens, cælestiaq; mysteria contemplans, quid in singulis negotiis agendum, quidve omittendum sit, facilè animadvertit; dum sentit Gaudium & lætitiam, non quidem illam inanem, quæ capitur ex rebus caducis, cujus extrema luctus occupat; sed quâ ita impletur, ut videat, virtutis viam non esse tristem, at superare omnem mundi exsultationem: dum in se sentit continuam & quasi Paternam DEI gubernationem, qua se ad bona opera dirigit, & à peccatis gravioribus, eorumq; occasionibus præcustodit: dum deniq; aut non timet mortem, sed eam æquo & alacri exspectat animo; aut illam tanquam rem pretiosam cupit ac desiderat. Sed sufficiant 6. illæ priores Conjecturæ, quæ nos utinam ita ad meliorem vitam elevent, ut etiam securos de Gratia Divina in nobis habitante reddant.

MEDITATIO II.

De gravitate peccati mortalis.

Præludia, sicut in priore Meditatione.

PUNCTUM I. Malitia peccati mortalis, consistit in aversione quadam à DEO, & conversione ad Creaturam: prout docet S. Thomas. Unde ille, qui peccat mortaliter, DEUM ipsum commutat pro Creatura, pluris eam æstimando, quàm DEUM, majorisq; ponderis ducendo, bonum falsum, momentaneum, ac vile; quàm verum, æternum, summumq; Bonum.

Hinc

Hinc autem apertè sequitur, peccatum mortale esse contemptum gravem DEI, cum Creatura comparati; esse despectum justissimarum ejus legum, promissionum ditissimarum, & minarum valdè formidabilium. Vnde ulteriùs, peccatum mortale est gravis injuria, à Creatura, irrogata Creatori; adeoq; est offensa ejus infinita. Si enim offensa crescit secundùm distantiam, quæ est inter magnitudinem offensi, & vilitatem offendentis: cum inter Creatorem offensum, & Creaturam offendentem, sit distantia infinita; nam illius dignitas & excellentia infinities excedit vilitatem cujusq; Creaturæ; necesse est, ut offensa & injuria, quam Creatura irrogat Creatori, sit quoq; infinita; ideoq; incompensabilis condignè ab ulla pura Creatura. Accusa hic cæcitatem tuam. Damna infinities temeritatem. Adora & revereare summam illam dignitatem. Ama ejus patientiam. Agnosce te illâ indignum. Roga, ne te abiiciat. *Ne proijcias me à facie Tua.*

II. Discurram per Attributa Divina: ut per summam Excellentiam, Immensitatem, Sapientiam, Bonitatem, Omnipotentiam, Misericordiam &c. & nullum reperiam à quo peccatum mortale specialem non desumat dissonantiam, ac malitiam. Nam enormis malitia est, digno alicui viro, præsenti & videnti, gravem irrogare contemptum & postpositionem e.g. Si quis Regi in faciem dicat, *Rex pluris ego facio hunc putidum Canem, vel fungum, quàm te; unde tibi terga verto, te non curo, gratiamq; tuam nihil facio.* Atqui DEVS est dignissimus, est ubique per suam immensitatem præsens, omnia videt per suam sapientiam; & tamen peccans mortaliter, eum contemnit, ab illo se avertit, Creaturam præeligit, quàm ejus gratiam. Enormis malitia est; illum odisse, qui est dignus propter suam bonitatem amari. DEVS autem est summa bonitas; & tamen peccator practicè eum odit; quia hîc & nunc vult ejus malum; scilicet contemptum & offensam, ac injuriam. Enormis malitia est, offendere judicem ipsum, qui de offensa est judicaturus; potestq; offendentem se, statim damnare ad mortem. Peccator autem offendit DEVM judicem suum, qui potest

test illum statim proiicere in infernum. Quodsi considerabo DEVM vt meum Benefactorem; hinc peccatum mortale ratione ingratitudinis, tantam desumit monstrositatem, ut eam non possim satis stupere. Si enim expendero multitudinem beneficiorum, quæ mihi DEVS jam contulit, & adhuc per totam æternitatem conferre intendit: hæc tot ac tanta sunt; ut quamvis ego totidem obsequiis, ipsi hactenus correspondissem, & in æternum correspondérem, vix adhuc minimum monstrarem debitæ gratitudinis signum. Quanta igitur & quàm abominabilis est ingratitudo, loco obsequiorum; tot, tamque execrandis injuriis & contemptibus illi correspondisse. Hinc possum sigillatim discurrere per beneficia à DEO accepta, ponderando, quàm malè me gesserim cum tanto Benefactore; & quantum supplicium meretur tam fæda ingratitudo. Excitabo igitur intensum, de peccatis commissis dolorem; cum firmo proposito, nullum jam committendi; & cum intimo horrore, illa, eorumq; occasiones fugiendi.

III. Esto omnia Attributa Divina, plurimùm exaggerant malitiam ac deformitatem peccati mortalis: tamen quo ad nos, nihil eam ita manifestat, atq; Iustitia Divina; quæ horrendo supplicio punivit in Filio DEI peccata aliena, tradens propter illa Authorem vitæ morti acerbissimæ & ignominiosissimæ. Si aliquem vellet adversarius ejus ferire gladio, vel lancea; interim eum frater clypeo chalybeo ab ictu protegens, exciperet in se gladii ac lanceæ impetum, qui perrumpens clypeum vulnus in eo hians aperiret. Nonne ille, qui gladio petebatur, multùm deberet Fratri, ejusq; clypeo? nonne ex clypeo colligeret, quantum ipsemet retulisset vulnus, ex quo illi fuisset moriendum. Si in ignem vehementem injectus adamas aut ferrum mox à violento illius ardore consumeretur; quid putas fieret, si in eundem ignem iniiceretur lignum aridum, vel stramen, an non subito periret? Ego sum in fabula: in me, propter peccata mea gravia, vibrabat gladium Iustitia Divina, me ferire volebat. interposuit se Filius DEI inter gladium, & me; objecit validis corpus suum innocentissimum

num ictibus. Vide igitur, quanta pertulit in capite, latere, manibus, pedibus, totoquè corpore vulnera, & agnosce, quanta, Iustitia Divina tibi inflixisset, si in teipsum impergisset. Si ille qui se vadem pro te fecit, esto fuisset dignissimus, & sanctissimus, tam horribilia pertulit, quid tu ipse debitor, pro temetipso perferre debuisses, & debebis? Si in igne Iustitiæ Divinæ, adamas ille pretiosissimus, & nulli corruptioni peccaminosæ obnoxius, ita consumptus est; quantùm Tu, qui es lignum aridum, & unum stramen, timere debes?

Colloquium institue cum Iustitia Divina, quærendo ex illa; ob quam causam ita crudeliter deſævit in Christum; & postquam inaudièris, quia propter tua enormia peccata, quæ ille ultro in se suscepit tanquam Mediator; ingemisce; toto corde dole; Christo gratias age; ruensq; ad pedes ejus; ejura omne peccatum grave deliberatum. Offer te ad satisfaciendum pro præteritis.

Miserere mei DEVS &c.

REFLEXIO
Supra
Amorem erga Proximum.

ILlo tu Fratrem, quò te, digneris amore;
Non facias illi quid quid fieri tibi non vis.
Omnis prosperitas ejus, tibi gaudia gignat:
E contra pariat fortuna sinistra dolorem.
Gestu, vel minimo caveas offendere verbo:
Præsens, seu absens fuerit, levipendere noli.
Non reprehende, tibi ratio nisi desuper adsit.
Subsidium prudens nec ei præstare recusa.
Quantumcunq; potes, vitiosas dilue culpas;
Obloquium desit; non sit contentio fervens;
Sitq; tibi præstò sincerus candor agendi;
Sit quoq;, defectus ejus tolerare, jucundum;
Officiis illum, meritoq, præibis honore,

 Invideas

Invideas nunquam, ſed plaudas, laudibus ejus.
Perferat inſulſos conſtans patientia mores,
Occultoſq; premant ſecreta ſilentia nævos.

REFLEXIO
Supra
MEDITATIONEM.

PErvigilem Punctis majoribus imbue mentem;
Atq; pios animi, quos promas, perſpice motus:
Turgida non inflet tenues fiducia vires.
Lentas rumpe moras, dum ſanctior inſonat hora.
Sedula diſperſam frenet collectio mentem:
Demiſſoſq; DEI reverentia cernuet artus.
Indiga ſe largi confeſſio noſcat egere
Suppetiis Cæli: præludia congrua fiant.
Anxia curarum places Examina carum
Non ſiccis arens diſcurſibus extrahe tempus:
Nonq; pios animi meditantis neglige motus:
Cœlica ſolicites multis at ſidera votis.
Colloquio tandem, claudat Meditatio finem;
In quo miſterii trutinati ſumma Coronis.

DOGMA POMERIDIANVM.
De ſolicitudine conſervandi Vitam Gratiæ DEI.

I. VItam hanc mortalem Corporis noſtri, deſcribens Sanctus Gregorius hom: 37. in Evang: ait: *Temporalis vita æternæ vitæ comparata; mors eſt potiùs dicenda, quàm Vita: ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid eſt aliud quàm quædam prolixitas mortis.* Et tamen illam, eſto ita brevem, fugacem, calamitoſam, ærumnis, miſeriis, afflictionibuſq; plenam, uſq; adeò appretiant mortales, ut ei retinendæ, & conſervandæ, labores omnes & contentiones impendant. Quid enim unquam omittitur, quod credatur poſſe conducere ad fovendam,

mulcendam,

mulcendam, retinendamq; labilem hanc Vitam? huic uni tot hominum myriades, in agris, in urbibus, in sylvis, terra mariq; bello & pace, diu ac noctu adlaborant, sudant, immoriuntur: & interim Vitam animæ vix curant, vix recogitant, vix occulta sui recordatione ferientem sentiunt, vix audiunt monentem. Tanti æstimatur Vita Corporis caduci; tam nihili vita æternæ mentis! Tanto illa est honori, tanto hæc contemptui, ne dicam horrori! Si oculus caliget, si caput doleat, si latus pleuritide laboret; quis non queritur, quis pharmaca non adhibet, etsi dolor ille duos duntaxat dies vel horas teneat; interim licet anima ictu mortifero confossa, complures dies, menses, & annos jacet; nemo sentit. Opes, deliciæ, honor ipse contemnitur, ne Vita corporalis, quoad multa hominibus ac bestiis communis, amittatur; (nam *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*, Iob: 2.) Iam verò Vita Animæ præstantissima, nobis Angelisq; beatis propria, heu quàm vili penditur; pro luto, fumo, vento, umbra, venalis habetur, negligitur, abiicitur etiam, & conculcatur.

II. Verùm hic alienam insaniam quis pro meritò deploret? quis satis lugeat tetram hanc noctem? Mirum profectò, quo tandem incantamento sic dementetur homo, ut sine hac Gratiæ vitâ, punctum temporis vivere, dormire, immo & edere, ne dicam jocari ac ludere quietus sustineat; & non magis ad hanc jacturam, justo contabescat mærore. Nos quibus mens oculatior, saniorq; animus, detrahamus æstimationi caducorum, quod æternorum pretio addamus, ac de tuenda præserendaq; reliquis omnibus animæ Vita, decernamus. Quia verò nescit homo pretium ejus, ediscamus illud ab authore ipsius DEO; à Virgine Matre Gratiæ, ab Angelis, à Sanctis, ut quidquid in nobis est virium, in Gratiæ conservationem & augmentumq; conferatur. (*Admirator enim laudatorq, accepta Gratiæ*, ait B. Chrysost: hom: 1. in Epist: ad Ephes.) *futurus est ejus studiosior custos, atq, attentior.*

III. Inprimis ergo vocemus hoc negotium ad sacratiorem DEI stateram; certè in hac reperiemus, Vitam Gratiæ

Divinæ Infiniti esse pretii. Nam quid tandem DEVS Optimus in thesauris Potentiæ Bonitatisq; suæ intactum, quid intentatum reliquit, quod nobis ad comparandam hujus boni consecutionem non profuderit? Non pepercit unico suo Filio non ejus sanguini, non atrocissimis cruciatibus, non vitæ, non morti; & tamen ille solus est æquissimus rerum ponderator censor, ac æstimator. Eripuerat homini Gratiam, nunquam naturæ viribus recuperandam stygius hostis: ut ergo illam DEVS redderet homini, Vitamq; mortuo rursus inspiraret, decrevit offensam illam, cujus intuitu tantam jacturam subierat, Persona sua Divina luere & compensare; nihilq; omittere, quod erigendo homini, ac in pristinum statum reponendo, Omnipotens dictasset sapientia. Ob hoc unum homo factus, novitate insperati prodigii, totam Cælestium Civium Curiam, rapuit in admirationem, attonitamq; reddidit. Viderunt namq; illum à Paterno solio egressum, & in exteras longeq; dissitas progressum oras, quod Reges nonnisi de gravissimis causis faciunt, è supremo cælo in terram iter arripere, quærere angulum Nazaræni tugurii, multoq; angustiùs mater no utero concludi. Cum ergo hæc faceret, cum, postposità Angelicarum mentium natura & conditione, in ærumnas mortalium infinitas ultrò sese coniiceret, quid tandem illum putamus tam insolito pretio licitari, quid prensare, quidve emere? Vnam, ah unam licitabatur, prensabat, emebatq; mundo quidem vilem, sed sibi supra modum, Caram Gratiam; nec putabat eam tot, ac tantorum bonorum dispendiis, dolorumq; sumptibus, carò emi. O quàm magnum, quàm pretiosum id esse oportet, quod toto seipso emit nobis, ille negotiator sui non ignarus, sed singula veris momentis librare & ponderare solitus, DEVS. Post susceptam verò naturam humanam, quos ille labores, quas ærumnas, quas ignominias non pertulit, quantos non profudit sudores. Iam 40. dierum acrem inediam; jam horrendam totius corporis discerpti lanienam; jam coronam spinis crudelibus Caput penetrantem, jam probrosam in trunco infami inter facinorosos mortem. O quàm grande illud

de illud est, quod ipsimet DEO Vitâ stetit! Exinanit, & ad nihilum redigit seipsum DEVS, ut hominem ditet atq; adornet restitutâ Gratiâ! Neq; hîc hæsit solicita DEI negotiatio, sed ad perpetuum augendæ alendæq; in hominibus Gratiæ Sacramentum & sacrificium devenit; quod non alio, quàm Corpore & Sangvine Christi, panis ac vini accidentibus tecti, constaret. Parum scilicet ipsi erat semel hominem nasci, parum semel mori, semel sepulchro condi; nisi millies in horas, immò toties, quoties in orbe toto Sacra peraguntur, inter Sacerdotum interdum sacrilegas & incestas corporaretur manus; nostrorumq; Corporum non jam novis, sed cadaverosis tumulis premeretur. Hæc omnia agit quærendæ conservandæq; Gratiæ ingens DEI ardor, nihilq; ab eo unquam susceptum, vel actum, nisi ad Gratiam infelicibus alioquin mortalibus parandam, tuendam, augendamq;! dum nos interim, ô brutum, ô ignavum stuporem! Gratiæ causâ ægrè pedem movemus. Quid enim est & quantulum, quod agimus & patimur; aut saltem optamus & volumus? Sit ergo nobis prima & potissima æstimandæ Gratiæ regula, DEI pro illa negotiatio; sit numeratò positus Christi Sangvis; sit profusa cum sanguine per sævos dolores anima. Cujus quidem pretii bene gnarus S. Hilarius exclamat: *Magnum quid me esse sentio, quod opus DEI sum: majus omnino majus, quòd tam copiosa, abundantiq; redemptus summâ, ut tanti videar, quanti DEVS.* Eusebius verò Emissenus, *In statera Crucis, non aurum, vel Angelum sed appensum*, ait, *salutis authorem, ut homo exterris à Gratia, saltem de pretio suam penderet dignitatem.* Dignitatem, inquam, quam solam DEVS æstimat in homine, & præter hanc, nullam prorsus. Expellebant olim è corporibus humanis malignos Spiritus discipuli Christi, ut est apud Lucam c. 10. Cum autem rem tantam viderent se facile nec semel perficere, reversi ad fontem, ex quo hæc illorum potestas profluxerat, dixerunt: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Respondit Christus, unam & solidam lætandi rationem illos edocens: *Nolite in hoc gaudere, quia Spiritus vobis subiiciuntur* (quia nimirum, ut ait Beda, possunt

id eti-

id etiam mali injustiq; homines facere) *gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis*, jure scilicet Gratiæ. Idem esto judicium, de aliis omnibus, quæ veniunt nomine Gratiarum gratis datarum. Quid enim prodest cæterarum cumulus gratiarum sive corporis, sive animæ, sive fortunæ; si illa una decedat, quæ nos facit DEO charos & amicos? Ponamus in unum quempiam à DEO congestum, quidquid usquam excellit in rebus creatis. Sit intellectu acutior spiritibus Angelicis, elephanto nervosior, formosior aurorâ & floribus, sole splendidior: unâ solâ careat Gratiâ; erit tanquam nihilum in oculis DEI; juxta illud Prophetæ Regii lapsum suum deplorantis. *Ad nihilum redactus sum.*

IV. Tu verò dignissima post DEVM, Virgo DEIpara MARIA, quanti hanc, quâ plena es, facis æstimasq; Gratiam? Certè dignitas DEI Matris tanta est, ut ei ipsemet DEI Filius obsequiosam debeat observantiam, cælestes Spiritus reverentiam, homines clientelam, Venerationem & cultum totus terrarum orbis, Coronam & imperium mundi, quidquid creatum est. At enim mallet ipsa carere cæli terræq; imperio; immo mallet jus Matris DEI, honoremq; ultro à se abdicare, quàm carere Gratiâ; mallet esse Filia DEI per Gratiam, quàm Mater DEI per naturam; minimè dubia, quòd, licet nihil possit esse par amori filii sui erga Matrem, plus tamen illam esset amaturus, si quam posset nancisci Gratiâ ditiorem. Id enim Christus intelligi voluit, dum piæ illi de turba mulieri, egregiâ voce Maternum uterum, & Vitalia ubera prædicanti, respondit. *Quin immo*, inquit, *Beati qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.* Quo sanè responso nihil dignissimæ Matri derogavit; sciens, infatigabiles ejus curas in audiendo & custodiendo Verbo DEI, à nullo fuisse æquatas: sed docere voluit, has esse illius partes præcipuas, hanc beatitatis Summam, pluris in Matre & quovis alio, quàm jura Materna æstimandam; quæ parvi essent, absq; Gratiæ gemmâ, Compendii. Ita cum S. Augustino tract. 10. in Ioan. complures è Patribus interpretantur Christum; ipseq; satis tunc se explicuit, cum audiens

adesse Matrem, extentâ in discipulos manu ait: *Hæc est Mater mea & hi sunt fratres mei: quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater & soror, & Mater est.* *Magister Optimus*, inquit Ep: 38. S. Augustinus, *Maternum Nomen, quod ei quasi privatum propriumq; nuntiaverunt, quia terrenum erat, in comparatione cælestis propinquitatis abjecit; & eandem cælestem propinquitatem, in discipulis suis commemorans, quo sibi rursum consortio generis, cum cæteris Sanctis Virgo Sancta cohæreret, ostendit.* Et lib: 6. de Virginit: c. 3. negat: *Cognationem Matris ulli emolumento Virgini futuram fuisse, nisi Christum feliciùs mente, quàm Corpore gestâsset.* Quis hic nobis hanc Magni Augustini continuò refricet & insculpat vocem? *Nihil Virgini profuturam fuisse Maternitatem, nisi gratia DEI profuisset.* Nos verò profuturum nobis credimus; quòd apprimè docti, subtiles Philosophi, arguti Theologi, Concionatores eloquentes, aliisq; donis tum naturalibus tum humanis dotati simus; etsi interim quærere ac invenire, conservare, augereq; Gratiam apud DEVM negligamus.

V. Post Angelorum Reginam, vos quoq; Beati Spiritus, qui toti radiis Gratiæ Divinæ lucetis, edicite; quid hæc sit Gratia? Ab ipsomet oculato teste Filio DEI traditum est: *Gaudium esse Angelis DEI super uno peccatore Pænitentiam agente.* O quæ tandem est excellentia illius boni, quod ebrios torrente voluptatis Angelos tanta voluptate afficit, quamvis alienum sit, & longè extra illos positum. Evehuntur homines ad regna, florentissimis præficiuntur imperiis, Victoriis & triumphis nobilitantur: & ad hæc beatissimi Cælorum incolæ silent, neq; ad has glorias videntur advertere; nedum illas adeptis gratulari: restituitur miserrimus homo in gratiam DEI, & totum festâ gratulatione impletur cælum. Quanti ergo momenti ac pretii est Gratia? quæ Angelicas mentes, infiniti boni spectando beatas, ejusq; amore plenas, nihilominus recreat, & alienæ felicitatis gaudio perfundit. Quod quidem gaudium unum & purum est ex Gratia, omnemq; tristitiam ex homine bene cordato excludens: cum è contra omnia alia gaudia, quibus hic illud mur, vana sint, & indigna; immo nulla; sed funestorum malorum causa.

VI. Iam quanti apud Sanctos fuerit Gratia, & quanta, ejus causâ, fecerint, tulerintq; longum esset recensere. Certè illi, nec divitiis, nec honori, nec lentis membrorum cruciatibus, nec vitæ ipsi pepercerunt; cumq; omnia in obsequium Gratiæ profudissent, magno lucro hæc duxerunt damna, gratisq; illam sibi datam existimarunt. Atq; inprimis Summa Veritas & Sanctitas jubet, nos, dextrum eruere oculum, manum, pedemq; abscindere, crucem quotidie tollere, abiicere vitam; cum hinc aliquod imminet Gratiæ amittendæ discrimen. Cujus præcepti Divini, quia tenaces erant Sancti Martyres; nihil Tyrannica excogitare potuit crudelitas, quod ab illis non sit Gratiæ causâ toleratum. Alii verò ejusdem periculo remedium provisuri, voluntarii suimet extiterunt tortores; rati præclarè secum agi, si discrimen peccandi, quibusvis corporum vexationibus redimerent. S. Franciscus Assisinas nunc in substratis vivis carbonibus, nunc in gelidis nivium cumulis, nunc in acutis spinarum manipulis, nudo corpore volutatus est. B. Ioannes de Bono, præacutas ungvibus suffixit arundines. B. Iacobus Anachoreta, manum foco injectam, donec nidore & tabo difflueret, diu sustinuit. B. Martinianus, excitatâ è sarmentis flammâ, semel atq; iterum diu pedes ustulavit; seipsum interrogans: *Quantillum hoc esset ad æternitatem ignium inferorum?* Et tamen hæc omnia, visa sunt illis levia; dummodo ne leui quidem assensu gratiam perderent; prudenter arbitrati, hoc brevi corporum detrimento, perennem animæ salutem esse asserendam. Quinimmo, vel solas, easq; difficitas labendi occasiones semel expertus, nominatus nuper Martinianus, in editiorem desertæ insulæ scopulum, voluntarius exul sese recepit, ibiq; 6. annos in summa vitæ asperitate ac sanctimonia, sub dio transegit: donec eò appellens ex recenti naufragio periculosæ formæ Virgo; & capillis in terram subducta, edocuit: ne ibi quidem se satis esse remotum, ab iis, quæ fugerat, & horrebat, periculis. Quamobrem relictâ providentiæ Divinæ curâ Virginis, cruceq; fluctibus maris impressa, iis se veluti navi commisit; non dubius, opem sibi in tam legitima causa cælitus

litus adfuturam: Et verò a portu ita solventi, gemini continuò Delphini adnatantes, tergo exceptum, optato littori reddiderunt. Tantùm in ejus animo valuit verax Gratiæ Divinæ æstimatio! tantùm ejus propugnandæ ardor potuit, nullis aquis ac fluminibus obruendus? Noverant scilicet optimè, & continuò versabant animo hi Viri Sanctissimi; eo apud DEUM esse loco, tantùmq; DEI oculis arridere Gratiam; ut, qui illius sunt compotes, tum DEO mirificè placeant, tum nihil boni agant, quod illi non sit pariter acceptum, & accessionem Gratiæ mereatur, ipsamq; Gloriæ immortalitatem. Non quidem titulo solius operis, quod plerumq; est exile, & nullius quoad speciem momenti, sed jure personæ gratiâ præditæ, à qua singularem & inæstimabilem derivat dignitatem. Palea est quidquid agimus; vel, ut ait Apostolus, *Momentaneum & leve, ad immensum pondus gloriæ*, quam Christiana prensat cupiditas. Quæ enim comparatio Regni æternùm beati, cum calice aquæ frigidæ? quæ cogitationis piæ cum DEO possesso, quæ unius precatiunculæ cum cælo? Hæc enim vera est Gratiæ Virtus, hæc authoritas, hæc majestas; ut illi imposita festucarum nostrarum momenta, æternæ gloriæ ponderi æquivaleant, magnamq; nimis mercedem, hoc est, Summi Boni æternam possessionem, mereantur. Iam verò, etsi aliquis omnia afflictionum, quas olim stupuit Thebais, genera congerat; etsi plura, quàm mille divites Epulones habuerint, effundat in egenos; si caret Gratia, nihil egit, quod ad gloriam comparandam valeat. Reddatur misero Gratia, & is vel semel nomen IESV adorandum efferat; jam ille Regnum cæleste, hac unâ voculâ Gratiam sonante, sui juris facit: & quoties idem aut simile quid præstabit, eandem gratiam tanti parentem boni, & ejusdem regni jam sibi debitam intendet augebitq; portionem, transacta mortali hac vita, certò capiendam.

VII. Quis jam sine rubore, prætexat ignaviæ suæ colores, in foro DEI minimè probandos? quis, cum de promerenda augendaq; Gratia lis vertitur, temporalia commoda prætendat? Pereat Corpus, Scientia, Dignitas, Vita, omnia nobis terrena pe-

na pereant, ne pereat gratia; decrescant cætera omnia, ut hæc sola accrescat. Nam cum minima ejus particula sit pluris, quàm quidquid est in terris bonorum, imò quàm totum cum Angelis cælum; ita ut plùs DEO quivis debeat, ob unam Gratiæ acceptæ atomum, quàm si ab eo Excellentiam supremarum consequeretur mentium; vel cæli ac siderum Dominus, cum imperio & potestate crearetur: par omnino est, ut quemadmodum multis à Gratia excidentibus quotidie condolemus; ita ipsimet nullas ad eam augendam oblatas spernamus occasiones; imò eas solicitè quæramus: *Omnia* cum Apostolo *arbitrantes ut stercora, ut Christum*, ejusq; gratiæ augmentum lucri faciamus.

VIII. O utinam profundè id cordibus nostris inhæreat, quod Seraphicam Virginem Teresiam Christus docuit, dum illi dixit. Tempus hîc non esse fruendi, sed laborandi, & inter labores amandi, atq; ampliora Gratiæ Divinæ augmenta parandi eaq; conservandi. Vides, inquit, Paulum Apostolum semel duntaxat raptum ad cælum, ibi gaudia cælestia prælibasse; cæterum in assiduis laboribus vitam traduxisse. Vides me idem institutum tenuisse, & semel duntaxat in monte Thabor, aliquid jucunditatis gustasse. Cum me vides inter brachia Matris; non existimes, illam meis amplexibus absq; dolore frui; habet gladium Simeonis, quo ejus anima transfoditur. Adfert præterea exempla Anachoretarum qui in solitudine non requiem, sed patiendi pro Christo & Gratiæ DEI augendæ materiam quærentes, eam jejuniis & continuis Corporis castigationibus, necnon acribus cum Dæmone & veteri homine certaminibus conservare studuerunt. Vnde concludens ait: *Crede mihi Filia, quò plus ferenda Pater meus alicui tribuit, eò illum majori amore prosequitur: & quod ego luculentius mei erga te amoris argumentum dare possum, quàm si eorum; quæ pro me, dum in terris agerem, elegi, te participem faciam: animo tuo altè imprime verba ista: Non est Servus major Domino suo.* Vide jam, quàm bene hoc monito, sit usa Seraphica illa Virgo, quæ nolebat vitam, nisi ut pateretur; patiendo verò conservaret & augeret Gratiam, quâ suo placeret Sponso; unde exclamabat: *Aut pati, aut mori.*

MEDI-

MEDITATIO III.

De effectibus peccati mortalis.

Præludia ut ante.

PVNCTVM I. Malitia peccati mortalis insuper colligi potest ex enormibus aliis effectibus; quorum primus est, Mors animæ. Sicut enim letale vulnus, aut mortiferum venenum, ideo mortem corpori infert; quia pellit ab eo vitam naturalem; nimirum animam: ita quoq; peccatum grave, mortem adfert animæ; quia ab ea expellit gratiam DEI, quæ est supernaturalis vita animæ: nam est *specialis participatio naturæ Divinæ, & filiatio DEI*: Vnde sicut anima in ordine naturali est primum & radicale principium omnium actionum naturalium vitalium; ut locutionis, auditionis, visionis, intellectionis, volitionis &c. ita quoq; Gratia DEI est primum & radicale principium omnium actionum supernaturalium ad vitam æternam conducentium: uti est, creditio, speratio, dilectio, & similes. Quia in Gratia DEI tanquam in primo fundamento & radice fundantur habitus infusi, virtutum supernaturalium, per quos homo redditnr formaliter, potens proximè elicere actus supernaturales. Peccatum ergo mortale actuale, tollit demeritoriè hoc principium primum & radicale; quia meretur, ut DEVS ex abominatione ipsius, & indignatione destruat in anima illam gratiam. Si ergo corpus mortuum, jam putridum ac fetens, est abominabile & fædum in oculis hominum: quantò magis anima per peccatum grave, præsertim repetitum mortua, redditur abominabilior ac fædior, in oculis DEI & Angelorum. Et si cum tanta solicitudine evitatur & cavetur corporalis mors, tanquam maximum malum Naturæ: cum quanta anxietate deberet evitari & caveri spiritualis mors, tanquam maximum status supernaturalis malum.

II. Sunt & alii horribiles peccati mortalis effectus. Primus est, quia peccatum mortale transformat hominem, ex filio DEI nobilissimo & amico ejus charissimo, in servum iræ, & despectissimum mancipium Diaboli; ex Templo Sanctissi-

mæ Trinitatis pulcherrimo, in caveam teterrimam bestiæ infernalis; ex rationali, seu operante juxta dictamen rectæ rationis, in bestiam operantem juxta ductum sensualitatis perversæ. Proinde à tali anima peccatum mortale expellit DEVM, non quidem quoad localem præsentiam, quia DEVS sicut omnibus aliis rebus creatis est intimè præsens per suam essentiam & immensitatem: ita & homini in peccato mortali constituto. sed quo ad effectivam dilectionem, ita ut non sit tanta distantia inter cælum & terram, quanta inter affectum DEI & peccatorem; juxta illud: *Longè à peccatoribus salus.* & *Adam ubi es?* & *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum Domine.* Ratio est: quia DEVS ex natura sua totus est bonus, totus est amor; jam autem peccatum mortale ex natura sua totum est malum, totum odibile; ac proinde inter hæc est affectiva distantia infinita. O quam horribile hoc damnum est! DEVM diligentem perdere, amicitiam & filiationem DEI amittere, hospite tanto & inhabitatore privari, rationalem hominem exuere, & formas tam dissimiles acquirere. Infelix anima, quæ tali damno afficitur; infelicior quæ se illo afficit non sentit, vel flocci facit. Si prædium ignis absumat, si pecuniam latro eripiat, si causam in Tribunali perdimus; si favore & benigno Regis oculo privamur, ita sentimus ac dolemus, ut interdum vertamur in amentiam. Dum DEVM summum ac infinitum bonum perdimus; dum ejus affectu & dilectione spoliamur; hoc nos haud afficit; imò ridemus, jocamur, ludimus; & ridendo, jocando, ludendo, hostes ac inimici DEI evadimus. O insaniam bestialem! ô saxeam vecordiam! O stipites nos æternis flammis destinatos!

III. Expende & alios horribiles peccati mortalis effectus. 1. Spoliat hominem jure hæreditario, quod habuit ad regnum æternum, & bona illius innumerabilia, ac indeficientia. Si Esau quia amisit jus primogenitorum ad bona Paterna; irrugit clamore valido. Tu non immugies, non ingemisces, amisso toties jure, ad bona Patris tui, qui in Cælis est. 2. Privat hominem, thesauris omnium meritorum, quos hucusque sibi aliquis

liquis comparaverat per bona opera, in ordine ad vitam æternam. Si Mercatori Navis ad Scyllam illidatur & pereat cum mercibus, multo labore pretioq; comparatis, an dolore acri non percellitur? quid sentiendum, de anima thesauris meritorum destituta? 3. privat hominem efficacibus gratiæ Divinæ auxiliis; unde provenit, ut peccatum unum, sit causa alterius, & hoc alterius &c donec perveniatur ad ultimam post quam non datur resurgere, ruinam. Quamvis enim cuivis homini viatori, detur gratia sufficiens, cum qua posset non peccare & salvari, absolutè loquendo, si vellet; infallibiliter tamen peccabit, & non salvabitur cum tali auxilio: nihilominus in pænam peccati gravis, multis subtrahitur specialis gratia, sine qua esto posset non labi, absolutè loquendo, tamen infallibiliter prolabetur, & si compleverit mensuram à DEO prædefinitam, sibi autem ignotam; in æternum peribit. 4: tollit orationi efficaciam; nam peccatori dicitur: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis per os tuum, Nomen meum, tu verò odisti disciplinam &c.* Et *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* 5. Tollit pacem cordis & gaudium bonæ conscientiæ. Quomodo enim Damoclès vere gaudeat, si videat impendentem sibi gladium? 6. Deniq; trahit secum malam mortem, & cum illa damnationem æternam, & innumera ac infinita mala. *Stipendium peccati mors; mors autem peccatorum pessima.* O monstrum ex omni fæditate compositum. O abyssus omnium miseriarum. O cæci, qui te diligunt! O insani qui te non fugiunt! Heu me miserum, si me non adeo pænitet, quòd te quæsierim & amplexatus fuerim; ut potiùs millies vitam perdam, quàm ad te vel semel redeam.

Colloquium fiet cum Domino DEO. Agnoscam coram illo, me esse velut quoddam fædum Apostema, ex quo undiq; stillat abominabilis putredo: Nullus enim in me sensus est, nulla potentia, quâ DEUM toties non offenderim; nullum præceptum DEI & Ecclesiæ, quod sæpius cogitatione, verbo, aut opere non violaverim. Mirabor quomodo me sol illuminaverit, Cælum suis influentiis conservaverit, aër respirationem

dederit,

dederit, aqua refrigeraverit, ignis calefecerit, terra sustentaverit, & ore aperto non devoraverit. Quomodo Creaturæ omnes contra me non conspirarunt, tanquam contra inimicum communis Domini. Amabo, laudabo, benedicam, adorabo, superexaltabo misericordiam, quâ DEVS erga me usus est; non habens me jam clausum in inferno; sicut habet multos alios, propter pauciora meis peccata. Incensus ergo gratitudine, & ardens amore, advolvar pedibus Christi, & ab eo petam, intensum de peccatis commissis dolorem, cum firmo proposito, nunquam illa in posterum committendi.

Miserere mei DEVS &c.

DIES TERTIA

Dedicanda Beatissimæ DEIparæ Virgini, in Gratiarum actionem pro ejus protectione, & per ejus patrocinium à multis malis præservatione; in satisfactionem pro defectibus contra Humilitatem commissis; ad impetrandam finalem in gratia DEI, & vocatione Religiosa perseverantiam.

MEDITATIO I.

De peccato veniali.

Præludi. I. Imaginare animam tuam veluti infirmam, debilem, languidam, exsangvem, pustulis fædatam, robore virium, & formæ honore penitus destitutam.

Prælud. II. Pete à DEO claram de peccatis venialibus cognitionem, intensum de commissis dolorem, & firmum propositum, ampliùs illa non committendi.

PVNCTVM *I.* Nihil est in mundo frequentius, nihil hominibus usitatius, quàm peccata venialia; ita, ut nullus homo sit, imò nulla bestia, quæ ita frequenter irritetur & offendatur, atq; DEVS. Et hæc alia sunt, quæ committuntur ex fragilitate, negligentia aut inadvertentia; alia verò quæ committuntur ex malitia, de industria, seu datâ operâ, & cum plena advertentia. Priora illa nocent quidem homini, & essent diligenter

ligenter cavenda: ſicut de facto cavebantur à Sanctis; Atq; ita S. Ioannes Baptiſta, eſto Nativitas ejus ab Angelo fuiſſet prænuntiata; eſto in utero Matris Sanctificaſſet illum Mater DEI; eſto tantis donis DEVS eum cumulaſſet, ut inter natos mulierum, nemo illo ſurrexerit major: tamen in annis teneris ſeceſſit ad eremum, ibiq; arctiſſimam vitam egit, ut occaſiones etiam, leviſſimorum peccatorum evitaret; prout teſtatur Eccleſia. S. Catharina Senenſis repentinam unam oculorum; curioſitatem, circa objectum non malum, & unum repentinum reſponſum, datum Confeſſario, bonum quidem; ſed quia abſq; prævia deliberatione prolatum; per aliquot dies amariſſimè deflebat. Et alii perfecti viri, ea devitare, ſtudioſè curabant; quamvis cum difficultate poſſint evitari. Poſteriora tamen longè plus nocumenti adferunt; unde cum omni conatu & diligentia à nobis evitanda ſunt; prout de facto vitant illa, multi fideles Filii, ac ferventes amici DEI. Deteſtare hîc tuam in peccando facilitatem & audaciam. Agnoſce fragilitatem tuam; poſtula eam roborari; time negligentiam; cura eam excutere. Exhorreſce malitiam; & plenam hîc deliberationem, ut cæcam inſaniam, & inſanam cæcitatem deplora.

II. Eſto malitia peccati venialis, comparata cum peccato mortali, videatur eſſe parva; revera tamen ſpectata ſecundùm ſe, magna eſt. ideo, quia cum peccatum veniale ſit contra rectam rationem, eſt quædam macula, fæditas, & monſtroſitas animæ, quæ illam ita immundam, fædam, & monſtroſam reddit, in oculis DEI & Sanctorum, ſicut ulcera purulenta & ſcabies reddunt faciem fædam & abominabilem, in oculis hominum. Sicut ergo vehementer erubeſceres, ſi haberes faciem puſtulis ſanie fluentibus fædatam, & ſi in tua poteſtate eſſet, illas evitare atque perſanare, procul dubio, diligenter illas caveres & aboleres; ita tibi diſcurrendum à potiori eſt, de facie animæ tuæ. 2*do*. ideo, quia cum peccatum veniale ſit contra voluntatem & præceptum DEI, eſt vera offenſa, injuria & deſpectus ipſius DEI. Propter quod ipſum, quamvis cætera deeſſent. deberent illud veri filii & fideles ſervi DEI,

præcavere & timere, quàm mille mortes. Quid enim diceremus de tali filio? qui nullam quidem talem injuriam, Patri irrogaret, ob quam deberet domo eiici, & hæreditate privari; minores tamen injurias nunquam illi irrogare omitteret, dummodo satisfaceret suis cupiditatibus: utiq; diceremus, talem non esse dignum nomine filii. Tales ergo sunt, qui advertenter & datâ operâ committunt peccata venialia. 3tio ideo, quia cum peccatum veniale sit vera offensa & injuria DEI, est quoddam malum ipsius DEI: & quia est malum DEI, est majus malum, quibusvis malis pœnæ omnium creaturarum tum temporalibus, tum æternis. Adeo; ut si alicui daretur optio, eligendi unum ex istis extremis; vel committere peccatum veniale, vel pati omnes prorsus pœnas inferni, & privari omni gloria incolarum Cæli: deberet potiùs eligere, hoc secundum quàm illud primum; idq; juxta rectam rationem. Quia minus malum debet eligi ad evitandum majus. Sed omnes pœnæ inferni cum privatione omnis gloriæ cælestis est majus malum, quàm minima culpa cujusvis peccati venialis. Ergo, &c. Quis igitur non fugiat timeatque malum illud, quod excedit omnia mala pœnæ etiam simul sumptæ.

III. Si ad sanandam aliquam pustulam, natam in manu, fronte, vel pectore opus esset ungvento ita pretioso, ut debeat comparari pretio unius Regni; quis negaret, illam pustulam esse grave malum; quis illam omni studio non præcaveret? & si illam contraheret, quomodo non tristaretur, non doleret? Peccatum veniale, e. g. unum mendacium, vel curiositas oculorum, vel impatiens dictum, est tale malum, talis pustula, quæ sanari non potest, nisi remedio pretii infiniti. Nam etiamsi in unum cumulum colligeremus omnia opera bona Sanctorum: ut illorum orationes, jejunia, eleemosynas; item quamvis in unum cumulum conponeremus cruciatus, tormenta, & sangvinem omnium Sanctorum Martyrum; & offerremus ista omnia Domino DEO, in satisfactionem & compensationem pro uno peccato veniali; tamen ista omnia secundùm se præcisè sumpta, sine meritis & Sangvine Christi non essent suffi-

cientia ad eluendam condignè & ex toto peccati venialis maculam. Quo ergo est opus insuper? opus est remedio Passionis mortis & Sangvinis Christi; quod remedium cum sit valoris infiniti simpliciter, superat pretium non solùm unius, sed etiam infinitorum regnorum. Quà ergo fronte lætari audes, admissô vel uno peccatô veniali, cujus malitia tanta est, ut nonnisi infiniti pretii remedio aboleri possit.

Colloquium instituendum illis Psalmi verbis: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Cor mundum crea in me DEVS &c. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Averte faciem tuam à peccatis meis.* Anima Christi &c.

Ejaculatoriæ sint eædem, quæ in Colloquio.

DOGMA MATVTINVM.

Vitam Gratiæ in suo vigore potissimùm conservat Viva Fides.

I. Vulgaris Paræmia docet: *Res omnes ab iisdem principiis conservari, à quibus incipiunt primò esse.* Cum ergo, prima Gratiæ justificantis infusio, à Fide incipiat; juxta illud Apostoli Hebr: 11, *Accedentem ad DEVM, oportet credere, quia est; & inquirentibus se remunerator est.* Vbi per Accessum, propriè intelligitur *specialis participatio, & consortium naturæ Divinæ;* quod præstat Gratia justificans; hæc enim tantæ est excellentiæ, ut per eam proximè homo accedat, ad modum essendi Divinum: ideò necesse est, ut ejusdem Gratiæ continuatio, in suo vigore, ac robore, per fidem conservetur. Et meritò. Cum enim Fides juxta eundem Apostolum Hebr: 1. *sit Substantia rerum sperandarum;* sicut substantia est prima cujusq; rei inchoatio; ita Fides est prima salutis, adeòq; gratiæ justificantis inceptio. Et prout substantiæ proprium est, esse per se, seu per se stare, ad instar fundamenti seu basis, cui tota ædificii moles incumbit; accidenti autem proprium est esse in alio, seu in alio stare: ita

 fidei

Fidei ex ſpeciali DEI ordinatione proprium eſt, ſubſiſtere in homine, per modum fundamenti, neq; ab eo niſi per actualem incredulitatem, tolli. Et ſicut conſervatio, integritaſq; ædificii principaliter dependet, à conſervatione ac integritate fundamenti; unde minima in hoc rimula, prægrandem facit, in ædificio fiſſuram: ita quoq; ſpirituale animæ noſtræ ædificium, principaliter fundatur in viva Fide, ita, ut minimus in ea defectus, grandem ſtructuræ ſpiritualis ruinam minetur.

II. Et certè ex defectu Fidei, omnes in vita Religioſa defectus provenire, ex vivacitate verò, & vigore illius, totam promanare perfectionem nemo ambigat. Quod enim aliquis ſit defectuoſus, & interdum malitioſus, hoc inde potiſſimùm provenit; quia non habet actualem de præſentia DEI, ipſum intuentis, obſervantis, introſpicientis, Fidem; juxta illud Pſal: 6. *Non eſt DEVS in conſpectu ejus, ideo inquinatæ ſunt viæ illius, in omni tempore.* Quòd verò ſit obſervans, timoratus, in omnibus ſedulus; quid cauſæ eſt? niſi quia ſi non perpetuò, ſaltem frequenter actu credit, DEVM adeſſe ſibi præſentem; juxta illud ejuſdem Pſalmi: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear:* id eſt, ne in ullam etiam leviſſimam noxam, aut imperfectionem prolabar. Et certè, ſi quis actu credens præſentem ſibi adeſſe DEVM, non abſtineat ab omni peccato? is aut diaboli ingenium induit, aut beſtiæ. quanquam ſi beſtia eſt, eo ipſo non peccat. Quis credens actu, DEVM ſibi adeſſe, non reſiſtat fortiter tentationi, non ſit ſtrenuus in bono opere. non exactus, & fervens in omni actione? Si ad ſingula in particulari deſcendamus: quæ eſt principalis origo, defectuum in ſurgendo à ſomno, in præparatione ad Meditationem, in ipſa Meditatione; niſi defectus, actualis fidei circa præſentiam DEI. Cur itidem, tam miſerè nobis abeunt Sacrificia, Communiones, Orationes, Examina? quia vivaci non percipimus Fide. præſentem nobis adeſſe DEVM? Cur in quotidiana cum domeſticis, & externis, converſatione in varios impingimus defectus? quia non habemus actum Fidei de præſente nobis DEO. Huc reſpexit oculatiſſimus in

mus in oculis DEI, S. Pater Ignatius, qui prout refert Ribadena L. 5. vitæ ipsius c. 1. Non solùm ipse, in minutissimis etiam rebus DEVM præsentem intuebatur; sed etiam optabat, omnibus nostris id esse familiare, ut DEVM in rebus omnibus præsentem cernerent, & universas res, actionesq; singulas, in DEVM referrent; neq; minorem devotionis spiritum in actione, quam in ipsa Meditatione sentirent. En ita aquila nostra, ad intuitum præsentis Iustitiæ Solis, explorat pullos suos.

III. Tota quidem vita Religiosa, præsertim in Societate IESV, est virtualiter continua Fidei professio, & reale ejus exercitium: Quâ enim intentione, primi Patres nostri, Duce S. P. Ignatio in Societatem hanc coaluerunt, nisi, ut Vicario Christi, semper ad manum essent, quòcunq; eos mitteret, seu ad Hæreticos, in gremium Ecclesiæ Catholicæ reducendos, seu ad Gentes barbaras, Fide Christi imbuendas? Ad quod etiam num Professi Societatis peculiari voto sese obligant: quæ obligatio, cum per totam eorum vitam duret; ratione illius, tota eorum vita, est continua ad profitendam propagandamq; Fidem, dispositio, seu virtualis quædam professio Fidei. Quàm autem hæc obligatio, & promptitudo Societatis, sit efficax; testatur Summus Ecclesiæ Præses Paulus V. in literis Anno 1606. in hæc verba datis: *Quantum Religio Societatis IESV, in Ecclesia, ad Fidei augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana Respublica novit universa.*

IV. Deinde, quis finis Societatis, totiusq; vitæ ejus, nisi in salutem propriam, & proximorum incumbere; seu, ad vitam æternam suas & proximorum perducere animas. Quid autem est vita æterna, nisi notitia DEI, hic per Fidem, in cælo per visionem, habita, juxta illud: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te DEVM verum, & quem misisti IESVM Christum.* Dum igitur Filii Societatis, ex vi sui Instituti, totâ vita suâ, per omnes procurant actiones hanc salutarem DEI notitiam; vita eorum virtualiter est continua Fidei professio. Ac tandem intueamur principales Societatis functiones, e. g. Missiones, Conciones, Cathechismos, rudium, & puerorum institutionem; infirmorum,

 morum,

morum, & incarceratorum visitationes, moribundorum dispositiones, domesticas Meditationes, Exhortationes, Librorum Spiritualium etiam ad mensam lectiones, omnes deniq; occupationes; quò ista omnia principaliter collimant? nisi ad comparandam sibi, & ingenerandam aliis, quàm maximam DEI, notitiam, & ex notia timorem, ac amorem, cultumq; & obsequium, ac tandem augmentum Gratiæ DEI. Vita igitur nostra, est virtualiter continua Fidei professio, & virtuale ejusdem exercitium. Quia tamen non debemus esse contenti hoc virtuali Fidei exercitio; progredior, ad praxes, & occasiones, Fidei formaliter, & expressè, exercendæ, quibus mirificè Vita Gratiæ justificantis roboratur.

I. Praxis sit, Obfirmare animum in Fide verâ, ita ut diabolus desperet de tentando in materia Fidei Religioso. Obfirmare, inquam, per protestationem resolutam vivendi, & moriendi in hàc Fide; quotiescunq; datur occasio recitandi aliquod Symbolum Fidei, sive Apostolorum, sive Concilii Nicæni, sive S. Athanasii, sive id quod in hymno, *Te DEUM laudamus*, continetur. Atq; talis praxis videtur fuisse, in S. Petro, illustri Ordinis Prædicatorum Martyre, qui cum Fidei causâ graviter in capite vulneratus, ac demum latera mucrone transverberatus, animam cum sangvine effunderet, illo ipso sangvine, digitum intingens, professionem Fidei, in terra his exaravit verbis: *Credo in unum DEUM.* Talis quoq; censetur viguisse in Patre Consalvo Mederio, qui prout refert Historia nostra Parte 1. L. 2. Moriens, convocatis Patribus, Cereum accendi jussit, tum Symbolo Apostolorum prolato, inquit: *In hac Fide morior, testorq; si quid fortè, in extremo agone excidat mihi, id me nunc irritum velle;* ac protinùs apprehenso cereo: *Ut lumen hoc* (inquit) *illuminat oculos corporis mei; sic ego Credo Dominum JESUM, illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum.* His dictis paulò post exstinctus; nec dubium, lucem ei perpetuam illuxisse. Talis tandem praxis in illo censetur floruisse qui ajebat: *Si hîc coram me patentem viderem infernum, dareturq; mihi optio, aut deserendi sanctam, quam teneo Fidem, aut in æternum cadendi barathrum; eligerem*

eligerem potiùs ruere in infernum, quàm deserere Fidem Orthodoxam.

II. praxis. Optare, desiderare, & petere, à DEO gratiam, quàm plurima patiendi, imò sangvinem fundendi, & animam ponendi pro Fide Sancta. Hæc est felicitas felicitatum. Et verò si David auditâ morte Filii sui, licèt scelerati, & rebellis, ex naturali tamen affectu, in has erupit voces: *Absalon Fili mi, Fili mi Absalon, quis mihi det, ut ego moriar pro te?* Quantò æquiùs Religiosus sciens Filium DEI IESVM Christum, atrocissima morte pro se exstinctum, non dicat frequenter: *Christe IESV Fili DEI, Fili DEI Christe IESV, quis mihi det, ut ego moriar pro Te, sicut Tu mortuus es pro me?* Occasiones hujus desiderii, & emendicationis, possunt esse plurimæ: Vt quandocunq; symbolum Fidei recitatur; deinde in Sacrificio, quandocunq; osculum altari imprimitur, inclinaturq; caput; tunc enim, vel ore, vel sola mente dici potest; *En Domine meam pro Fide Tua cervicem. En sangvinem, & vitam pro honore & amore Tuo.* Tandem ad mensam, dum legitur Martyrologium; tunc enim, potest desiderari Fides talis, qualem habuerunt SS. Martyres; potest quoq; desiderari Martyrium, & peti à DEO, per intercessionem horum SS. Martyrum, sic e. g. *O si haberem Fidem talem? O si & ego morerer pro Christo? O SS. Martyres impetrate id mihi.* Tali certè desiderio flagrabat P. Ioannes Gonzalez, qui aliquando evocatus ad infirmum, à sensibus jam alienatum, ac proinde confiteri Sacramentaliter haud potentem: cum interim aliunde sciret, illum esse multis gravibus peccatis obnoxium; misertus ejus animæ, & redux domum, sacrificium Missæ pro eo fecit, in quo seipsum DEO in mortem devovit, si id ei placeret; dummodò infirmus sensibus restitutus peccata sua confiteretur. Peracto sacro ægrum reinvisit, redditumq; sensibus reperiens, Confessionem ejus excepit, & absolvit. Tum acceptavit DEVS pactum ipsius heroicum; nam domum rediens, illico petiit lectum, & fortunatam mortem, Victima Charitatis pro suo proximo cadens, oppetiit.

III. Fidei praxis. Desiderare & emendicare à DEO, veram ejus notitiam, per totum terrarum orbem. Tale fuit desiderium

derium Regii vatis dicentis: *Confiteantur Tibi populi DEVS, confiteantur Tibi populi omnes.* Et illud S. P. Ignatii: *O Domine, si Te homines nossent?* Illud quoq; S. Xaverii *Memento clementissime rerum omnium conditor DEVS, animarum infidelium, Hæreticorum & peccatorum, à Te solo creatarum, quas ad imaginem, & similitudinem Tuam fecisti: Ecce Domine in opprobrium Tuum, his ipsis quotidie Infernus impletur &c. Pro quarum omnium salute, ego me totum, meaq; omnia Divinæ Majestati Tuæ offero, ac devoveo.* Quàm autem desiderium hoc æstimetur à DEO, gratumq; illi sit; patuit in nostro Fratre devotissimo Alphonso Rodriquez, ut vita ejus perhibet. Eliciebat ille frequenter desiderium, adducendi ad Christum, universum orbem; eòq; preces suas intendebat, atq; eâ de causâ, paratum se exhibebat, omnia potiùs Inferni tormenta, æternùm tolerare, quàm ut Indi, Mauri, Gentiles, essent à vera Fide extorres. Hujusmodi desiderium habenti DEVS in quadam extasi revelavit; eum sua tam accensa voluntate, tantùm promeruisse, quantùm fuisset adeptus, per realem omnium Gentilium conversionem. O desiderium de ipsis planè sideribus delapsum, imò de ipso corde Solis Iustitiæ Christi IESV enatum.

IV. Praxis sit. Sacrificia & Coronas, quæ ex præscripto nostræ Religionis singulis Mensibus, pro Indis & Gentium conversione, similiter pro partibus Septemtrionalibus, & Hæreticorum ad Ecclesiam reductione fiunt, exactè peragere; ita fructus sacrificii distribuendo, ut & infidelibus & circa eos laborantibus applicentur in hunc modum. O Beatissima Trinitas DEVS meus, offero Tibi hoc sacrificium incruentum verè, ac realiter DEVM Hominem IESVM Christum præsentem, substantialiter continens, (inquantum est *Adoratorium*, seu Latreuticum) Offero, inquam, in exhibitionem supremi cultûs latriæ, & adorationis Tibi debitæ; nec non in recognitionem Tui absoluti super omnes Creaturas dominii; quòd scilicet sis Dominus vitæ, & mortis. Id autem facio nomine omnium quidem Creaturarũ rationalium; in particulari tamen nomine Indiarum, omniumq; Ethnicarum Gentium & hæreticarum, debitum Tibi

cultum

cultum denegantium. Doleo Te antea isto cultu à Tuis Creaturis esse defraudatum, & nunc etiam à quibusdam defraudari: ac proinde ego, omnium Creaturarum rationalium vilissimus, intendo per hoc Sacrificium, nomine illarum Gentium infidelium testari Tuum supremum supra illas dominium, earumq; omnimodam ad Te subjectionem. In quantum verò est *Gratiarum actorium*, seu Eucharisticum, offero illud in Gratiarum actionem pro Beneficiis à Te in illas Gentes, quoad esse naturale effusis, ut, quòd sint à Te creatæ, quòd Vitæ hujus usurâ fruantur, quòd à Te sustententur cibo, potu, vestitu, & quòd eas quibuscunq; cumulaveris beneficiis: pro quibus nunc me Tibi Gratiarum actorem constituo, dolens de omnibus illarum Gentium ingratitudinibus, Tuæq; in se benevolentiæ ignorantiis. In particulari verò intendo per hoc Sacrificium gratias agere, pro omnibus operariis, quos Tua Divina providentia ad infidelium conversionem olim destinavit, & nunc destinat, ac destinabit. Item pro omnibus auxiliis gratiæ, pro talentis naturæ, cæterisq; donis, quibus eosdem Operarios instruxisti, instruis, & instrues. Pro miraculis, quæ per veræ Fidei propagatores fecisti, facis, & facies. Pro efficaci applicatione sangvinis meritorumq; Christi, illis animabus jam ex parte facta: pro Sangvine Martyrum ibi, in testimonium veræ Fidei, fuso: Pro infantibus ibidem hoc tempore baptisatis. Pro illo concursu, quo Tu nunc cum Tuis Operariis circa illas animas laborantibus, aut earum causâ periclitantibus, concurris. Item pro influxu Humanitatis Christi, quo in Sacramenta à se instituta, illisq; hominibus administrata, influit. Item pro desideriis Martyriorum, quæ illis operariis communicasti, communicas, & communicabis. Item pro Sacrificiis, quæ in illis partibus peracta sunt, vel peraguntur, aut peragentur. Item pro omnibus, singulisq; gratiis in Neophytos quoquô modo collatis, conferendisq;. In quantum verò est *satisfactorium*, applico hujus satisfactionis proportionem in Sacrificio debitam, omnibus Indis, Gentilibus, ac infidelibus, quatenus applicare teneor, & illi sunt capaces. Alioquin applico illam ei Ope-

 rario,

tario, qui Tuo judicio maximè in illarum Gentium conversione laborat, vel qui primus est in cultu DEIparæ Virginis inter illas Gentes propagando. Vel applico medietatem satisfactionis illi Operario vivo, qui inter illas Gentes est ferventissimus; & medietatem defuncto qui ibi fuit zelosissimus. Vel deniq; applico illi, vel illis, quibus Tu DEVS meus nunc vis, ut applicem. Vel illis, quibus hîc & nunc ex aliqua obligatione subvenire teneor, ut me debito liberem. Tandem inquantum est *Impetratorium*, offero illud, ut in Persona Christi impetrem omnes gratias actuales, prævenientes, & efficaces, illis Gentibus necessarias, quibus disponantur ad Fidem suscipiendam. Item ut impetrem Operarios fideles, strenuos, idoneos, sanos, multos. Vt impetrem amotionem omnium impedimentorum, saluti infidelium oppositorum; maximè ratione peccatorum, quibus impediunt suam conversionem. Vt impetrem fractionem virium diabolicarum: obtestorq; nunc SS. Angelos, illorum hominum Custodes, ut specialiter apud DEVM urgeant, conversionem commissarum sibi animarum, viresq; Diaboli reprimant; offerentes hoc ipsum Sacrificium ad id impetrandum, in Persona Domini nostri IESV Christi. Demum ut impetrem omnes gratias & favores, illis Gentibus necessarios; totamq; latitudinem impetratoriæ efficaciæ hujus Sacrificii, ex Persona Christi illis applico, quantùm applicare teneor, omnia secundùm beneplacitum gustumq; Tuum DEVS meus.

V. Praxis. Non tantùm promptè laboriosas obire missiones; sed etiam ad illas ultro se offerre Superioribus, easq; expetere. *O quàm pulchri sunt pedes* talium Missionarium *Evangelisantium pacem, Evangelisantium bona*, perducentium parvulos rudemq; plebem ad Christum. Quid fuit tota Christi vita, præsertim ultimo acta triennio, nisi Missio continua? Non tractabat Christus plausibilia Rhetoricæ aut Philosophiæ studia, non occupabat speciosas sublimesq; Scibarũ, & Legisperitorũ cathedras, sed tanquã cælestis in terras Missionarius, omnia egit, dixit, conversatus est. Per quos regnum Christi, toto terrarum orbe dila-

be dilatum est, per quos Divina ejus Fides in fines mundi propagata? nisi per Apostolos, eorumq; imitatores Apostolicos Missionarios. O amator hominum, DEUS noster, da illos quàm plurimos Tuæ Ecclesiæ, heroici sudoris, sangvinisq; prodigos; non se & sua, sed Te & animas sangvine Tuo redemptas, sincerè quærentes. Da tales, qui profundè apprehendant, quanta sit Tua Majestas, quàm digna, ut ab omnibus ametur & colatur bonitas; quantopere id tu ipse desideres, adeo, ut *exinaniens Teipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*; velut Pastor benignissimus, ovem inventam, Tuis reportares humeris. Neq; hoc tantùm, sed insuper gravissima tormenta, & mortem acerbissimam pati dignatus es, *ut redimeres animas in sangvine Tuo, & mundares Tibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Neq; id sufficit immensæ Tuæ charitati, sed insuper, si necesse foret, paratus esses iterum pro qualibet anima, de cælo descendere, & Tuæ passionis calicem exhaurire. Da deniq; tales Operarios, qui seriò recogitent, magnum numerum peccatorum, quos cum Dæmon ad se invitat, atq; ex insidiis sagittat vanitatum illecebris; dum mundus ad suas leges trahit ac impellit; pleno agmine obseqvuntur; & sic præcipiti passu in atroces inferni flammas ruunt. Da ergo talem tuis Operariis zelum, ut Peccatores quotidie pereuntes, tum precibus ardentibus, tum verbo salubri, tum exemplo ædificativo, retrahant ab interitu.

MEDITATIO II.

De Causis peccatorum venialium.

Præludia sicut ante.

PUNCTUM I. Prima causa & radix peccatorum venialium, est affectus inordinatus amoris erga aliquas Personas: unde provenit, ut, ne illas contristes, sed ut illarum gustui & placito te accommodes, facias vel omittas ea, quæ non deberes. Quæ autem illæ sint, & in quibus occasiooibns, quovè loco, vel tempore id fiat, hic in memoriam revoca. Percurre etiam de-

am defectus, in quos te, iste amor inordinatus præcipitat; & inveniens quàm plurimos; Illa mendacia, illæ assentationes, obtrectationes, earumq; auscultationes, seminationes discordiarum, scurrilitates &c. Expende jam, quàm hoc indignum sit, & cum magno DEI contemptu conjunctum. Certè placere & satisfacere debes vel DEO, vel Creaturæ? nam utriq; simul id præstari non potest juxta illud S. Pauli: *si hominibus placerem; servus DEI non essem.* Nonne plura & majora sperare, vel etiam timere debes à DEO, quàm ab aliis Personis, à quibus, quia speras aliquid vel times; ideo earum causâ DEUM offendis? Nonne DEUS eo te fine vocavit ad Religionem, ut in eum solùm oculos intendas, & soli placere studeas, & ab illo solo, agendi vivendiq; normam & exemplar desumas? Nonne ille solus in supremo judicio feret de te censuram ac sententiam? præmiumq; vel pœnam tibi decernet, ac dabit. Cur ergo Creaturis tantùm defers, ut te abstrahant à Religiosæ vitæ officiis, ritè obeundis? Erubesce, veniam precare, emendationem propone.

II. Secunda radix peccatorum venialium, est tacita vel expressa aversio animi ab aliqua Persona, sive ob naturalem complexionem tibi non arridentem, & à tua complexione diversam; sive ob aliquam ab ea datam causam offensionis, vel justam; uti sunt monita justa &c. vel injustæ: uti sunt aculei verborum. Recense hîc & Personas, à quibus tamen aversionem sentis, & defectus in quos ab illis impelleris; uti sunt illæ suspiciones, temeraria judicia, murmurationes, detractiones, oblocutiones, simultates &c. Expende, quàm sit indignum, DEOq; injuriosum, aversioni tuæ culpabili, quam foves erga DEI Filium, erga redemptum à Christo, erga hæredem Regni cælestis, erga confratrem tuum, & conservum atq; cohæredem ejusdem Regni addere aliam DEI offensam; illa scilicet peccata, quæ proveniunt cogitatione, verbo & opere ex illa aversione. Ex altera verò parte introspice teipsum, quomodo tu aliis præbes non minores molestiarum & aversionum occasiones: & tamen amari, laudari, honorari vis; & nihil pati

eorum, quæ alius à te patitur, vel ob nullam, vel ob leviorem causam. Pronone igitur, perverso affectu non abduci à Personis aliis sed charitate verâ illis conjungere; quia *charitas operit multitudinem peccatorum.*

III. Tertia radix peccatorum venialium est debilis, & obcæcata à pravis affectibus fides de præsentia DEI, omnia tua arcana intimè penetrantis, & intuitivè perspicientis. Si enim non audemus peccare, altero quem reveremur præsente; profectò nullum peccatum veniale auderemus committere, si viva in nobis esset fides DEVM esse præsentem, & omnia nostra spectantem. Oblivionem præsentis DEI, pro causa peccatorum assignat Psalmista, Psalmo 6. *Non est DEVS in conspectu ejus. Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* S. Basilius defectibus venialibus hoc ita accommodat: *Cujus animus temere evagatur, otioq; se dat? quis frequenter irascitur, quis humanas laudes avidè captat. quis ad opera spiritualia piger est? quis actiones suas ad DEI gloriam non refert? quis inter orandum mente distrahitur. Qui non semper cogitat, DEVM cogitationum & actionum suarum inspectorem esse.* hæc ille. Vt ergo istam radicem peccatorum venialium succidas: audi DEVM idem dicentem tibi quod Abrahamo. *Ambula coram me & esto perfectus.*

In Colloquio propone imitari illa. Imitare illa Ezechielis animalia, quæ trahendo currum gloriæ Divinæ, plena erât oculis ante & retro; nempe habebant oculos in manibus, oculos in auribus, oculos in labiis, oculos in oculis, oculos in pedibus, erant plena oculis intus & foris. Vt nimirum nihil videas, nihil audias, nihil loquaris, nihil cogites, nihil operis, nisi quod sit dignum oculis DEI, & in oculis DEI. Statue igitur certa tempora, quibus tibi renoves præsentiam DEI, ut à minimis etiam defectibus possis esse liber.

Anima Christi sanctifica me.

REFLEXIO
Supra
HVMILITATEM.

Vilem te reputes; optes quoq; talis haberi;
Elige, quod magis est abjectum, quodq; molestum.
Aspice dona DEI reliquorum; quos tibi præfer.
Obstupeas, aliquis quòd te dignatur amare,
Vel meminisse tui: cense te prorsus ineptum,
Vt quid condignum facias; verumtamen urge
Vires, ut facias; tibi quò confusio crescat,
Vtilitas Sociis, Superis quoq; Gloria major.
Volve tuos crebrò solerti mente reatus;
Et memor errati, cristas depone tumentes.
Esto bonos reputes, proprios reprehende profectus;
Cense, quòd multi fugiant tua lumina nævi.
Si quod opus commune vocat; te subtrahe nunquam;
Quin operi semper graviori subde lacertos.
Nunquam te, seu à te gesta negotia jacta;
Nunquam lingva sonet, quidquid præsumptio spirat,
Nil supra reliquos sapias, hos effuge passus,
Qui fastu tumeant, vel qui gravitate notentur.
Par est, ut cunctis subdaris amore Tonantis;
Fac magis hoc illis, quos prætulit alta Potestas.
Tam bona cuncta DEO, quàm cunctos defer honores,
Indignum reputa, si quis te laudibus effert.
Nil tibi deberi, quod sit sublime, putato.
Dum congressus adest, postremas elige partes.
Non turbare; quia est, contemptum quod tibi gignat;
Vel sis inter eos, qui vili sorte notantur.
Commissam, vano prætextu non tege culpam;
Ast agnosce tuum, simul & fateare reatum.
Non quidquam dicas, quod te manifestet, honesto
Esse loco natum: Gessisseq; munera magna,

Te gra-

Te graviter reprehende, tuis irascere culpis;
Atq; tuos aliis notos lætare relapsus.

REFLEXIO
Supra
AUDITIONEM SACRI.

MAturum properato gradum; ne tardior adsis
Sacro; vaniloquam lingvam frenato; jocosos,
Numinis irreverens, in risus solvere nunquam,
In varias noli convertere lumina partes,
Adsis altari demisso cernuus ore.
Mente truces passi cruciatus volvito Christi;
Virginis aut alma sacram decurre coronam;
Non aliud lingvâ, quàm prono corde volutans.
Si pius altari, prolixo Presbyter adstet
Tempore; siq; sacras diuturnus detinet aras:
Audaci Numen querulus cave murmure lædas;
Sed jungas votis Mystæ, tua vota, precantis:
Non solùm vivis, sed vitæ tempore functis
Æternam lucem, superamq; vovendo quietem.

DOGMA POMERIDIANUM.
Cura vitandi peccata venialia, est conservatrix Gratiæ.

I. NOn solùm malam mortem, sed etiam morbum pravamq; corporis intemperiem, homines plerumq; timent: non solùm vitam, sed etiam sanitatem ac valetudinem solicitè curant: atq; ut hanc vegetam integramq; servent non letalia duntaxat vulnera, morbosq; capitales perhorrescunt, sed etiam febrim, & parvulas punctiones; adeoq; omnes etiam leviores deteriùs habendi causas diligenter devitant. Ex *qua nobis ingenita erga vitam* corporalem solicitudine, & valetudinis cura discendum; quantum vitam animæ fovere, tueri, defendere, immo & au-

gere

gere, atq; confirmare novis quotidie viribus debemus: cum sit intolerabilis ignaviæ, debili duntaxat contentos esse; si possimus formâ, robustâ, & alacri frui. Fruemur autem, si inprimis non modò letalia crimina, quibus vita gratiæ fugatur, sed pravas etiam ad illam sensim labefactandam & infirmandam ac postea amittendam dispositiones omni studio vitaverimus. Hæ vulgò à medicis spiritualibus appellantur peccata venialia; à nobis levia, & falsâ voce, parva dicuntur. *Quomodo enim* (quærit S. Hieronymus Epistola 14. ad Celant:) *dixeris parva, quæ magnum Dominum infinitè dignum offendunt, atq; amantissimo nostri DEO, ejusmodi nauseam creant, ut eum ad nostri rejectionem cogant?* Quomodo levia, quæ non rarò in graviores lapsus, incautum & incurium quemq;, suo pondere præcipitant? quomodo exigua, quæ licet gratiam non perimant, certè instar illius Hierichuntini Viatoris, qui inciderat in latrones, vix spirantem & semianimem relinquunt, & nisi maturè manum admoveris, ad portas mortis deventurum. Sicut enim peccatum letale quodlibet, animam enecat; imo DEVM ipsum peculiari modò animæ unitum, totaq; amoris sui infinitate nos pervadentem, quadam ratione occidit: ita veniale, unionem illam intimam, per quam justi verè DEO adhærent, & unus cum illo Spiritus, non tantùm habitu, sed etiam actu efficiuntur, actualem quidem prorsus impedit, habitualem autem, & si non tollat; dici tamen non potest, quantùm ei adversetur, illamq; laxet, ac debilitet. Est enim peccatum veniale, instar noxii humoris, qui etsi vitam non eripiat, sensim tamen omnes interioris hominis potentias pervadit, viresq; corrumpit: unde varios & pestilentes morbos enasci est necesse. Quantò enim multiplicantur venialia, tantò se anima paulatim avertit & elongat à DEO; donec tandem per mortale, ad quod disponunt minores culpæ, penitus avulsa pereat.

II. Ponamus quempiam cancro exuri & depasci; insuper cæteras in eundem majores ægritudines congestas esse; leprâ faciem, asthmate pectus, paralysi nervos, hydropisi cutem, abominatione stomachum, podagrâ pedes, cæcitate oculos, surdi-

tate

tate aures, caput phrenesi, stupore lingvam, extinctione, deniq; nativi caloris totum corpus laborare; quis non ejusmodi morborum congeriem gravissimam ducat? quis non seipsum tanquam vivum & spirans cadaver horreat? quis non omnem curam studiumq;, ad evitandos amovendosq; tot morbos adhibeat? Vna sola culpa venialis, magis animæ nocet, quàm cuncta illa mala corpori: & licet omnes morbi in unum conflentur, nondum erunt æquales minimo peccato veniali: unicum verbum læsivum charitatis, aut aspectus curiosus à longè execrabilior est. Libet in hanc rem adferre; quæ Divino planè Spiritu, ab Eusebio Nierembergio concepta & conglobata sunt, de Ador: l. 2. c. 13. *Peccatum veniale* inquit ille, *est cancer: qui serpit paulatim usq; ad interitum, inducens in alia plurima; & demum in mortale; nisi priùs resecetur pravus affectus. Est lepra, maculatam & fœtidam animam sejungens à complexu sponsi; Est asthma causans difficultatem aspirandi ad cœlestia, molestans & contristans spiritum sanctum: Est paralysis impediens agilem motum ad DEUM, torpereq; faciens in Divino servitio. Est Hydropisis gignens sitim & æstimationem rerum temporalium, negligens Divina & salutaria. Est abominatio Stomachi; fastidium creans rerum spiritualium. Est podagra impediens nos, ne procedamus in via DEI. Est cæcitas faciens cæcutire ad Cognitionem veritatis, & bonorum cœlestium, amentiam mundanam inducens, velut densa nubes obtenta oculis. Est surditas, Divinas inspirationes audire prohibens. Est phrenesis faciens insanire animam. Quæ major insania quàm si quis purpuram Regiam, quâ, honoris causâ, à Rege fuisset donatus; ut coram se adstaret, & loco filii haberetur, luto immergeret, & deinde appareret ridiculè coram Rege? Sic gratia indutus veluti purpurâ DEI, dum per peccatum veniale se maculat, lutoq; inficit; licet non exuat illam; & deinde coram Angelis audet apparere, DEOq; assistere. Est quoq; stupor lingvæ reddens orationes nostras minùs efficaces, ut non mereamur audiri nec exaudiri à DEO. Est phtisis ac tabes labefactans animam ad resistendum diabolo, vigoremq; omnem enervans. Est exstinctio caloris, fervorem charitatis Divinæ imminuens.* Parvum ne censeri debet, quod tantorum causa est malorum?

III. Equidem qui peccata venialia contemnit; solumq;

DEO servit, quatenus anima per peccatum mortale non occidatur, aut privetur cælo; is profectò non intelligit, in quantum se amittendæ Gratiæ periculum, sciens volensq; conjiciat. Sicut enim corporis morbus est prodromus mortis; ita in veniali, deterius est nihil, ac nihil diligentiùs cavendum, quàm, quòd animam ad mortem præparet ac disponat. *Sagittæ parvulorum*, inquit David, *factæ sunt plagæ eorum* Psal: 63. Nimirum Dæmon cum præcellentes virtute viros letali ictu sternere non possit, ex membris nostris minutas cuspides, ad interiorem hominem conficiendum suppeditat: atq; ita fit, ut quemadmodum S. Cassianus Martyr, puerorum, quos instituerat, stylis ad mortem compunctus est; ita quotidianum planè Diaboli stratagema esse assolet, quo Religiosos circumvenit, ut, dum ad graviora flagitia expallescunt; per minuta sensim obruantur, ac præcipitentur in infernum. Sic S. Theresia locum sibi in inferno paratum conspexit; ad quem devenisset, nisi à sagaciore Confessario instituta, venialia declinare cæpisset. Quid febres, quid colicam, pleuritidem, calculum, apoplexiam; nisi flatus, arenula, spiritus vitalis interceptus, res minima, una guttula creat? mortes ex pilo, ex acino, ex acu, ex spina, compertæ sunt. Verùm quàm minora longè esse assolent, quæ vitam ordinis Divini sternunt. Nimirum, ubi semel his minutioribus delictis patuit in animam aditus, homo adiicit ad peccandum; & negligentia neglectim admissa, gradus est ad ulteriorem. *Si quis enim cuipiam*, ut scribit Faustus Monachus, *obloqui cæperit, nec indoluerit huic suo errori; die insequenti, eâ in eundem facilitate, impetu, imò libidine rapietur, ut sibi nequeat ab eo temperare, satietá tandem perturbatio vehemens, ut ne sentiat quidem se errare; consvetudine inolitâ, mentis aciem fuscante, ac peccandi continuitate, sensu peccati stupefacto.* Quare putat S. Gregorius Nissenus, ideo DEUM ab Hebræis primogenita postulâsse, & domorum fores sangvine agni consecrari voluisse: ut nimirum, primos illi motus animi dicaret; quibusvis autem DEO minus acceptis obstruerent aditum. Ipsum Senecam non fugit, obliquos affectus vires eundo acquirere, & faciliùs prohiberi accessu, quàm admissos

extrudi. Certè, uti *qui spernit modica, paulatim decidit;* sic rarò ad graviora devenitur, quamdiu levibus, tanquam gravioribus obsistitur: alioquin sæpius contingit, ut postquam his tenuibus venenis, vel muscæ stimulus venam aperuit, accedat periculum capitalium malorum, ac prorsus letalium. *Quibus noxæ leves viam præmuniunt; nisi radicem fibris hisce subtilibus hærentem exstirpâris; scito* (inquit S. Chrysostomus) *in peccatum grande surrecturam. Nam affectio primùm fimo ex & frigida incalescit, transitq; mox in perturbationem: perturbatio inverecunda est, nec intra limites coërcetur. Sic jam itur quà lubet: nec quid expediat, deceat, liceat, spectatur. Assveta voluntas* (ait S. Thomas 2dæ Quæst: 82. A. 3.) *in minimis DEI reverentiâ non teneri; nec in majoribus retinetur; & vitæ officiis, positas ab eo perfecta moderationis metas, transilire solita, ut primum res ferat, exibit longiùs; nec se ab impetu consvetudinis reprimet; usu cuncta levigante;* hoc est *frequentia actuum, quæ gignit habitum, facilem ac pronam animam reddente ad peccandum.* Itaq; valde sapienter monet Cajetanus, urendas esse has erratorum venialium fibras, quamvis pertenues, frequenti contritione: neq; obiter solùm, & quasi in unum fascem collectas, sed partitè seorsim secundùm suas species singulas; ne quando in toxicum radix aliqua degeneret, & animum sensim ad crimen proximè comparatum, nacta tentatio, illum evertat & perimat. Hoc pessimum peccatorum venialium officium, experti sunt, malo suo, quàm plurimi; cum in eis morantur.

IV. Vt omittam alios: Ex remissione animi, & modestiæ oculorum defectu, ex illo, inquam, curioso aspectu faciei Betsabee, (quæ initio erat curiositas venialis & fortè indeliberata) in concupiscentiam letalem David incurrit; deinde in adulterium; mox in maximam ingratitudinem; postea in gravem dolum & perfidiam; tandem in homicidium. Levis curiositas Dinam in stuprum impegit. Parva æmulatio filiorum Iacob, erga Iosephum, in pravam primò excrevit invidiam; hæc in odium; hoc in fratricidii voluntatem; & mox in injustam fratris innocentissimi venditionem. *Hic processus perditionis est: à minimis ad magna, à magnis ad majora, à majoribus ad maxima ascendit*

scendit interitus. Vnde Eliphas unus ex onerosis consolatoribus Iob, qui otiosa intulit, ad contumeliosa protinus verba prorupit, dicens: *Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas.* Ecce inquit S. Gregorius lib: 22. moral: c. 4. *à torpenti corde, ad verba venit otiosa; ab otiosis autem verbis, per crimen fallaciæ, ad contumelias exarsit. Isti quippe, sunt cursus culpæ crescentis; ut lingva, cum non restringitur, nequaquam, ubi ceciderit, jaceat; sed semper ad deteriora descendat.* En quo pacto veniale peccatum, viam præparat ad mortale. Præparat utiq; non solùm unicâ viâ, sed multis pluresq; januas aperit ad an mæ mortem eamq; tandem infert ac inducit, pluribus quidẽ modis. Præcipuè tamen demeritoriè; ut loquuntur Theologi: qui enim ita negligentem sui curam habet, non est dignus iis DEI donis, iisq; auxiliis, & Sanctis inspirationibus, quibus vel ad majorem cum DEO unionem promoveri, vel eam, quam jam habet, firmam & illibatam tueri possit. Quid enim mirum est, si infectam minoribus etiam noxis animam & minùs quàm oporteret, suæ puritatis & sanctitatis studiosam, minùs etiam DEVS diligat; si ab oculo & osculo sponsali procul arceat, hædosq; suos pascere, & vestigia gregum suorum, hoc est minùs ordinatarum affectionum sequi permittat: imò eam sibi ipsi relinquat; & satis infirmam, ac specialibus gratiis destitutam, in graviora labi permittat. Quæ quidem infirmitas ob fomitem peccati, caulas, alimenta, & irritamenta malorum, quæ intra nos gerimus, cum major sit quàm possit ab arrogantiâ nostra intelligi, ut quid tam prono in ruinam parieti adjicimus quotidianum pondus peccatorum venialium, quibus invereçundus animus, Diviniq; amoris neglector, fiat Divinæ, opis ad resistendum egentior, auctâq; imbecillitate, ad pereundum habilior?

V. Atq; hinc patet, quanto jure Divus Bernardus illos reprehendat, qui venialium culparum exilitatem elevant, ac censent parum dignam labore curâq; strenuæ emendationis. *Nemo,* inquit, *dicat in corde suo: Levia sunt ista; non curo corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus minimisq; peccatis. Hæc enim, Dilectissimi, impænitentia est, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum,*

ctum, blasphemia irremissibilis. Serm: de Conv: S. Pauli. Quem non terrebit hæc mitissimi ac mellifluí Bernardi severissima & amara vox? quis audiens, blasphemiam dici contra Spiritum Sanctum, non tollere peccata minuta sed in illis manere, parvum dicet malum? At dixerit quispiam: Non propterea damnandum esse, qui habet peccata venialia; nec blasphemiam propriè esse, manere in illis. Ita est: sciebat hoc utiq; Sanctus Bernardus; tamen ut aliquam congruam opinionem, aut formidinem ejus mali haberemus, blasphemiam vocavit: ut existimaremus, eam opinionem, eundemq; horrorem, quem habemus de peccato blasphemiæ, debere nos habere de negligentia venialium; de blasphemia autem multò majorem, ne peccata mortalia solùm putemus magnum malum, venialia paulò plus quàm nihil! Non ita iniquè voluit Bernardus æstimari culpas, sed venialia peccata æstimari atq; vitari tanquam maxima mortalia; mortalia autem tanquam infinita mala. quemadmodum S. Isidorus dixit lib: 2. sen: Cap: 18. *Sunt peccata levia quæ ab incipientibus quotidianâ satisfactione purgantur; quæ tamen à perfectis viris, velut magna evitantur crimina.* Sed cur S. Bernardus dixit; contemptum peccatorum venialium esse irremissibilem? Nonne ea confitemur? imò licet quis moreretur cum centum millibus peccatorum venialium, dum ea sola haberet, salvaretur, Ita sanè: nihilominus potest dicere Bernardus, neglectum culparum venialium esse irremissibilem; quatenus in hac vita non remittetur, si, & inquantùm ita contemnatur: & quantumvis aliquis Sacramenta suscipiat; nec tamen per Sacramenta, nec per alium modum curet illas retractare: certissimum namq; est; eum, qui non habet propositum abstinendi à peccato veniali, nunquam consequi illius remissionem, quamvis etiam sæpius confiteatur.

VI, Nemo igitur vocem hanc, impænitentiæ & Blasphemiæ, à Bernardo accusatam, usurpet unquam: *Leve est, minimum est, nihil est.* Quomodo id? tenue malum credi potest quod immensa Bonitas execratur? quomodo nihili ducendum, quod animam æterno parat exitio? quod gratiæ pulchritudinem ro-

 bur,

bur, divitias, bonum habitum, salutem, merita; præmia, paulatim exsugit & pessundat? Quare audiamus S. Chrysostomum Hom: 8. in Ep: ad Cor: 1. validè nos hortantem: *Vt DEO juncti & coagmentati, nè tantillùm quidem ab eo sejungamur*: prout à trunco rami, fundamentum ab ædificio, à vite palmites, à capite membra, ne tenui quidem spiraculo possunt dividi absq; interitu & ruina; ut leve nobis censeri non debeat, hoc qualecunq;, quod nostra socordia, & usus, diuturnà tepidorum consuetudine ac negligentià factus, minimum & nihilum appellat. Verè, Domine, judicia tua abyssus multa, inscrutabilia, prorsus & incomprehensibilia cogitatus dum propter leves culpas, permittis, etiam viros olim rectos, tibiq; charos, ruere in graves noxas, eosq; proiicis, ac evomis ex ore tuo. Saule non erat melior in populo; & tamen ob levem initiò superbiam, ac invidiam, abjectus est à te. David ille vir secundùm cor tuum, quàm fædè, ob unum curiosum aspectum cecidit? Salomon filius ejus, ille amabilis Domini, propter unum otium, quam turpiter à te apostastavit? Propheta ille, tibi carissimus, uno merendæ bolo deceptus, à leone quàm miserè interiit. Quis horum aliorumne casus varios considerans non obstupescat? Quis poterit appendere delicta eorum, & intelligere judicia tua? Ideo ego humilio me sub potenti manu tua, & supplex rogo, ut *ab occultis meis* tum magnis tum parvis *mundes me; & ab alienis parcas servo tuo. Non intres in judicium tuum cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Sed quamvis *judicia tua abyssus multa*; *tamen misericordia tua, super omnia opera tua*; hinc gemens ac dolens, speransq; in ea, clamo: Miserere animæ quærentis te, & amantis te, suspirantis ad te, & non confidentis, nisi in Te.

MEDITATIO III.

De effectibus peccatorum venialium.

Præludia sicut ante.

PUNCTUM I. Duplex est effectus formalis peccati venialis; Primarius & secundarius. Primarius est; quia reddunt hominem

minem maculatum, fœdum, abominabilem, & ita displicentem, DEO, ut illum non possit sereno oculo intueri, & coram facie sua pati. Vnde si daretur aliquis magnus Sanctus cujus merita & sanctitas, æquaretur meritis & sanctitati multorum Sanctorum, imò ipsius Beatissimæ Virginis; si tamen decedens ex hac vita, haberet unam maculam alicujus peccati venialis, eamq; per totam æternitatem retineret, nec ab ea eliberaretur; per totam quoque æternitatem ad cælum & visionem DEI non admitteretur. Imò si per impossibile, una talis macula reperiretur, in anima humana Christi Domini, tolleret ab illa visionem beatificam; eamq; à cælo excluderet. Item, si aliquis posset peccato veniali efficere, ut ad DEVM totus convertatur mundus, ut omnes Iudæi, Gentiles, Hæretici, suam delerant infidelitatem, & fidem sanctam amplectantur; ut magni peccatores, ex peccatoribus evadant magni Sancti: tamen DEVS ita detestatur illam maculam & fœditatem peccati venialis; ut propter tam bonum effectum ex ea secuturum non consentiret positivè in illam; nisi fortè permissivè, ac propter finem honestissimum, ex sua infinita sapientia & omnipotentia inde eliciendum. Iacta ergo tuam bonam voluntatem, quòd velis in omnibus placere DEO: en, si es proditurus in conspectum hominum, faciem spontè non maculas; vel si eam casu maculaveris, statim abluis, ne oculis hominum displiceas: cur ergo te offers conspiciendum oculis DEI & Sanctorum; cum sis tot peccatis maculatus. Iacta te, quòd desideres voluntati DEI, tuum velle accommodare. En voluntas DEI usq; adeo sibi in peccatis venialibus displicet: tibi verò nihil est faciliùs, nihil familiarius, quàm delinquere venialiter; quæ ergo est ista conformitas, quæ accommodatio?

II. Effectus formalis secundarius peccatorum venialium est; quia disponunt ad peccatum mortale; præsertim si deliberatè repetantur: tum quia, qui spernit modica paulatim decidet: tum quia: *in pigritiis humiliabitur contignatio, & in stillicidiis corruet domus*: tum quia, sicut ægritudo corporalis, est dispositio ad mortem corporis; ideoq; hinc est majus malum, quod infirmo majorem

jorem inducit solicitudinem & timorem ita ægritudo spiritualis peccati venialis, est dispositio ad mortem animæ, scilicet ad peccatum mortale: atq; hoc debemus in illo plus dolere & horrere; Tum quia, qui sæpiùs peccat venialiter, paulatim deponit Sanctum DEI timorem, quo refrenatur à peccato, & assumit sensim audaciam transgrediendi limites rationis, legumq; Divinarum; donec ita crescat illa audacia, ut quod antea non nisi cum timore & difficultate fiebat, postmodum audacter & facilè perficiatur. Vnde potest formari bona consequentia. *committit quis cum advertentia peccata venialia. Ergo committet & mortalia. Est infidelis super pauca. Ergo etiam erit infidelis & super multa. Contemnit parva. Ergo & majora contemnet.* Hinc autem sequitur, illum qui consuevit venialiter peccare, sæpè reddi insanabilem, & irremediabilem, partim quia assvevit malæ vivendi rationi; quam consuetudinem esto posset, tamen non vult deponere; siquidem talis habitus, cum gravi nonnisi difficultate tollitur: partim quia virtutum habitus, destruxit contrariis defectuum actibus, unde se privat facilitate rectè agendi, ac tentationibus resistendi,: partim quia talis homo hujusmodi consuetudine callum obduxit, ita, ut vix sentiat contrarias illustrationes, & inspirationes Divinas; unde tam ob suam indignitatem, deseritur à DEO, privaturq; gratiis specialiter illuminantibus, inflammantibus, opportunis, efficacibus; atq; ita redditur cæcus, durus, obstinatus in suo malo ac perdito sensu. Vnde ulterius meretur, ut illum DEVS ita evomat ex ore suo ut illum amplius resorbeat, deglutiat, & in suam convertat substantiam: hoc est relinquit in tali relapsorum statu, ut esto absolutè posset defacto tamen nunquam è cæno vitiorum resurgat, & in gratiam DEI redeat; atq; ita damnetur.

III. Effectus effectivi peccatorum venialium, alii sunt in hac vita, & alii in altera. In hac vita sunt pænæ: aliæ quidem corporales, ut, infirmitates, morbi, dolores, persecutiones, lingvæ, detractiones, murmurationes, variiq; casus fortuiti ut incendia, furta, rapinæ &c. Aliæ verò spirituales, quæ sunt magis formidabiles, uti sunt permissiones tentationum valdè affli

gentium,

gentium, inquietudines, & turbationes conſcientiæ, desolationes, obſcuritaes, ſiccitates: & quòd magis formidandum; ſubtractiones illorum donorum & auxiliorum gratiæ Divinæ; quibus homo deſtitutus, aut eſt in proximo periculo cadendi in peccata gravia, aut defacto in illa cadet. Quia jam habet defectum virium ſupernaturalium ad exercendos virtutum actus, habet imbecillitatem moralem ad vincendas tentationes; habet debilitatem & pigritiam, ad progrediendum in via ſpirituali; & conſequenter habet magnam inclinationem ad quieſcendum in bonis terrenis, tanquam in fine ultimo, cum nauſea & tædio rerum ſpiritualium; ut Orationis & cum DEO converſationis: cum repugnantia quoq; ad quærenda bona cæleſtia ac æterna, tendendiq; in finem ultimum. In altera verò vita ſunt graviſſimæ pænæ purgatorii; de quibus infra. & diminutio gloriæ æternæ; Quia impediunt hominem, ut non mereatur tantum gloriæ, quantum mereretur, ſi actus ejus boni ac meritorii, non inficerentur à peccatis venialibus. Si ergo ille multùm eſſet exoſus, qui eſſet cauſa, ut alius in mille partes ſecaretur, & cruciaretur tormentis atrociſſimis, vel ne lucraretur ſublimem ſecularis dignitatis gradum: cur peccato veniali afficeris, quod tibi adfert tanta detrimenta?

Colloquium fiat rogando ſuppliciter DEVM, ut tibi immittat ſerium odium, deteſtationem, & abominationem peccatorum venialium; ut illa timeas & fugias: ne fortè per illa cadas in mortalia, ita, ut jam ab eis non reſurgas. Vt intenſè doleas de commiſſis, & firmiter, ampliùs illa non committere proponas. *Pater noſter. Ave MARIA.*

DIES QVARTA

Dedicanda S. Michaëli Archangelo, & S. Angelo Cuſtodi; in gratiarum actionem pro beneficio Gubernationis, & ſingulari Cuſtodia; in ſatisfactionem pro Animabus in Purgatorio detentis; ad impetrandum tam ſibi quàm aliis felicem agonem, bonamq; mortem.

MEDITATIO I.

De Morte.

Præludi. I. Imaginare te quasi in lecto jacentem, proximum articulo mortis, desperantem de vita; utpotè cui jam à medicis denuntiatum illud, quod Isaias denuntiavit Ezechiæ: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.*

Prælud. II. Roga DEUM, ut tibi det modò sentire id, quod tunc es sensurus, de omnibus rebus vitæ præsentis pariter ac futuræ.

PUNCTUM I. Apprehende veritatem hanc certissimã; quòd omnes simus morituri. Ostendit hoc 1. Quotidiana experientia, ab initio mundi, hucusq; deducta. 2. Ratio naturalis. Quia natura humana est de se corruptibilis, tum ab intrinseco, ratione qualitatum contrariarum, quibus constat, perpetuò inter se pugnantium; tum ab extrinseco, propter intemperiem aëris aliorumq; elementorum, inter quæ vitam agimus. 3. Fides Divina. Quia, ut ait Apostolus: *statutum est omnibus hominibus semel mori*; idq; in pænam peccati: *Quia per unum hominem*, ait idem Apostolus, *peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors.* Atq; ista Lex ita est universalis, ut neq; Christus D. neq; Sanctissima ejus Mater, fuerint ab illa exempti; quamvis ab aliis providentiæ Divinæ legibus excepti fuerint. Omnes ergo sumus morituri, tempore à DEO prædefinito; Nobiles & plebeii, divites & pauperes, juvenes & senes; deniq; omnes: ita, ut sicut nullus vivit ex illis, qui ante retrò centum annis vixerunt: ita ex illis, qui hodie vivunt, post centum annos, nullus vivet, sed alii, loco illorum. Currunt sæcula & cum illis homines; sicut fluctus maris, quorum unus insequitur alium, donec omnes evanescant in littore, vel sicut aquæ fluminum, quarum illæ, quæ modò sunt præsentes, postmodum erunt præteritæ, & loco illarum succedent aliæ præsentes. Omnes transituri sumus, ab angusta Regione temporis, ad regnum amplissimum æternitatis.

II. Quid-

II. Quidnam eſt mori? mori, eſt corrumpi ac deſinere eſſe compoſitum hoc naturale ex corpore & anima. Eſt deſtrui ac in terram cadere, animatum hoc ædificium. Eſt perpetuò exulare ab hoc mundo terreſtri. Eſt in æternum ſpoliari omnibus hujus vitæ temporalibus bonis, uti ſunt: conſangvinei, Amici, Divitiæ, voluptates, honores, officia, dignitates &c. Vnde ſequitur, ut quamvis modò, quo ad ea, quæ mundus æſtimat, ſimus inæquales; nam aliqui habent multas divitias, multis fruuntur deliciis, ampliſſimis honoribus gaudent; alii parum horum poſſident: tamen mors, omnes nos quo ad iſta faciet æquales. Quia ſicut omnes, nudi ingredimur in hunc mundum; ita quoq; omnes nudi ex illo egrediemur. Quorſum ergo tendit tanta cura ac diligentia in comparandis hujuſmodi rebus, quibus ubi ſemel nudati fuerimus, jam illas nunquam habituri ſumus? E contra verò, quàm noxia & damnoſa eſt incuria, quam tenemus in negligendis bonis operibus, quorum fructu in æternum gaudere poſſumus. Magna eſſet dementia illius Mercatoris, qui cum ingenti ſolicitudine & copioſis expenſis oneraret navem talibus mercibus, quas certò ſciret ſubmergendas in portu, una cum navi, ex qua ille ſolus nudus exiliens, vix enataret. Magna quoq; eſſet dementia illius viatoris, qui perrecturus in aliud Regnum, talem ſibi monetam provideret, quæ ibi nihil valet; eam verò negligeret; quæ ibi ſola currit. Major eſt dementia mortalium, qui ſibi theſauriſant bona mox relinquenda; ut honores, opes, delicias; obliviſcuntur autem bonorum operum, quæ ſola in portum æternitatis, ſecum ſunt educturi, & in Regnum illud ſpatioſiſſimum invecturi. *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Vt vigilem ſuper me, & id unicè quæram, quôd conducit æternitati.

III. Statim à die nativitatis incipimus mori; ſiquidem amittimus unum diem vitæ: quantum autem deperdimus de vita, tantum accedimus ad mortem. Si quis ergo damnatus ad ſupplicium, educeretur è carcere, duceretur q; ad furcam, ut in illa ſuſpenderetur; interim termini, ad quem ducebatur imme-

mor, postularet musicam, ludos, convivia, genioq; ac deliciis indulgeret; procul dubio haberetur ab omnibus insanus. At multo insaniores sumus nos; quia condemnati à DEO ad mortem, & è carcere materni uteri educti, ad pabulum mortis pergimus; non solùm festinantes, sed etiam volantes celerrimis temporis alis; & tamen immemores hujus termini, ad quem properamus, perdimus vitæ hujus tempus, in variis oblectamentis, citoq; destituris commodis. Præsertim verò, quia tempus vitæ mortalis, comparatum cum æternitate, quæ nos post illud expectat, ita breve est, ac si nullum esset. Quid enim sunt centum anni, ad quos ad summum vita nostra extendi potest, comparati cum infinitis millibus annorum, ex quibus æternitas componitur? Multò minus, quàm momentum temporis, comparatum cum quovis numero annorum, quantumvis magno. Quia duo extrema finita, habent inter se aliquam proportionem; jam verò extremum finitum, cum infinito, nullam. Vnde inferemus cum Apostolo: Quandoquidem *citò præterit figura hujus mundi* phantastica; idcirco quicquid est in mundo, sive bonum, sive malum, nihili debet æstimari. Imprudenter agit, qui plus æstimat umbram alicujus splendidi Palatii, illamq; magis curat, quàm illud ipsum Palatium, quod illi in proprietatem & possessionem daretur. Certè talis imprudentiæ DEVS redarguit Ionam, dum esset magis sollicitus de umbræ disparentia, quàm de Ninive interitu.

Colloquium fiat cum Christo agonizante, rogando ut ille Spiritum suum immittat, spiritui meo mortuo, illumq; vivificet: ita, ut ejus memoria, informet memoriam meam: Intellectus, Intellectum, illuminet; voluntas voluntatem inflammet: Quatenus ita judicem de rebus hujus mundi temporalibus, & ita eas appetam, sicut Christus appetendas judicavit & appetiit.

Anima Christi sanctifica me &c.

Ejaculatoriæ per diem usurpandæ

I. Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum DEI.

II. Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

III. In

III. In manus tuas Domine (pro me vulneratas,) commendo Spiritum meum.

DOGMA MATVTINVM

Gratiæ conservandæ fidissimi Custodes; Diffidentia sui, & Confidentia in DEO.

I. CErtum est apud SS. Patres; per humilitatis defectum, Gratiarum Divinarum fluenta impediri. *Quid est*, inquit S. Bernardus hom: 4. sup: Psal: Qui habitat &c. *quod incessanter orantes & supplicantes non possumus ad eam, quam desideramus Gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus factus est DEUS, aut inops, aut impotens, aut inexorabilis? Absit hoc, absit: Sed ipse cognovit figmentum nostrum, ne fortè elationis vitium incurramus: Sicut enim iste corporeus sol, licèt bonus sit, & valde necessarius; tamen fervor ejus, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet; Nec est solis culpa, sed infirmitatis. Sic etiam Sol Iustitiæ.*

In eandem Sententiam gravibus verbis concurrit S. Bonav: lib: 2. de Profect: Rel: c. 33. *Non est mirum*, inquit, *si inopes simus virtutum; cum Matrem & custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam à nobis sentiamus. Quid enim causa est, quòd ille, qui dives est in misericordia Pater cælestis, qui etiam prò dilectione quâ dilexit nos, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quid inquam, causa est, quod nos tam inopes gratiarum & virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia nostra in causa est, quòd non instanter quærimus eum, ut debemus; aut superbia, quia etsi quærimus instanter, videt tamen DEUS nos pronos esse, ut inde extollamur, & fieret nobis ipsa donorum ejus sublimatio, altioris occasio ruinæ.*

II. Hinc benè ratiocinatur S. Augustinus lib: 4. contra Iulianum c. 3. Cum DEUS naturâ suâ sit liberalissimus, consequens esse, ut gratiæ denegandæ causa, ab homine, non à DEO; concedendæ verò non ab homine, sed à DEO petatur. Causa autem cur DEUS illam non det, est, quia homo sibi dona ejus arrogat, indeq; extollitur, & laudem captat, atq; DEO furatur

quod DEI est, Fons verò hujus arrogantiæ est amor proprius; quia enim homo in rebus creatis amat se quàm maximè, ideo aliena bona sibi arrogat, & fingit esse sua, suâq; industriâ parta, Mala verò sua dissimulat, quasi non sua: parva bona attollit, magna mala diminuit & abscondere nititur. Cum verò maximus DEI hostis sit amor proprius, quid mirum, si hosti perfido, donis suis cum summa injuria abutenti, non patrocinetur; manumq; in largiendo contrahat, & superbiæ materiam subtrahat DEVS? Hoc ipsum familiari similitudine explicat S, Gregorius L. 34. mor: c. 17. *Bonus cibus*, inquit, *quibusdam nocet, non vitio sui, sed stomachis è contra venenum interdum prodest, dum cum aliis compositum sumitur, ut in teriaca: ita malis virtus nocet, dum inde extolluntur, bonis interdum vitium prodest, dum inde humiliantur. Hinc Gratiis Divinis & virtutibus cautè utendum, nihilq; nobis inde arrogandum: DEVS enim, quia de medicamento, vulnus facimus, ipse de vulnere facit medicamentum; ut qui virtute percutimur, vitio curemur, & qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes adhæreamus.* Neq; hoc mirum alicui videri debet; Cum enim DEVS sit prudentissimus Architectus; cur quæso gratiarum suarum domicilium supra arenam ædificet, quod continuò, vento superbiæ concussum, in præceps iturum prævidet? Cùm vino cælesti ad rerum æternarum amorem, segnes mortalium animos velit allicere; cur copiosè illud in eos effundat, quos temulentiâ de recta ratione dejectos, inde sibi plaudere, laudes captare, & benefactoris oblitos, se ipsos gloriosè videt supra cæteros attollere? An non esset hoc gladium insano porrigere, & rem pretiosissimam luto sordibusq; DEO ac cælitibus odiosis miscere; nullo fructu, sed in miserrimam, & nunquam satis deflendam abutentis perniciem.

III. Vt ergo ad hanc sanctam Gratiæ conservandæ securitatem citiùs homo perveniat, opus est; ut de se diffidens, omnia confidat se posse in eo, qui eum confortat; adeoq; à se abjiciat suarum virium præsumptionem, & simul pusillanimitatem. Nam Charitatem Gratiamq; Divinam, rem esse ita sublimem sibi persuadeat, ut ad illam acquirendam & conservandam

dam suis pertingere viribus non possit. Petrus, dum ad Christum super aquas graditur ad venti unius flatum malè apprehensum, submersionis periculum incurrit: deinde dum sibi præfidens, inter complura vitæ discrimina, testari vult amorem in Magistrum; & quid ei accidat, præsens observare, ad vocem ancillæ in exitium ruit: An tu ad Christum, ejusq; gratiæ conservandæ securitatem, per tot amoris proprii oppositos fluctus & fletus, perrepturum te putas, nisi tibi diffidens, ad id auxiliatrice DEI manu proveharis? Mulieri in Apocalypsi dantur alæ duæ, ut volare possit: sponsa in Canticis non ascendit, nisi innixa super dilectum suum? Et tu, quomodo sine alis, aut divino fulcimine, ad Charitatem & Gratiæ conservandæ securitatem, temerarius evade e, eamq́, obtinere te posse existimas? *Non acceditur*, inquit Augustinus in Sententiis, *ad altitudinem DEI, nisi per humilitatem; & cui propinquat subditus, longè ab eo recedit elatus, per humilitatem ad sublimia gradus est.* Et S. Gregorius hom: 32. in Evan. *Nisi quis à seipso deficiat, ad eum qui supra se est, non appropinquat.* Sed neq; sine diffidentia sui, amor gratiaq; DEI conservatur: nisi enim illa fuerit præposita, apposita, opposita, & postposita, omnia ex manibus extorquet superbia. *Propter jactantiam*, inquit Ambrosius in Psal: 43. *Pharisæus illa etiam, quæ jam habuerat, amisit, nihil ei tot genera virtutum uno vitio decolorata profuerunt. Homo dum sibi sufficere confidit, ab eo, qui verè ei sufficit, deficit*, ait S. Prosper: in sent. Si à S. Basilio & S. Paulino aliisq́;, humilitas conservatrix custosq; virtutum habetur; multò magis gratiæ & charitatis, quæ virtutum regina, radix & fundamentum est. Dictum est aliquando à Tullio: *Nervus atq; arcus sapientiæ est non temerè credere*: & hoc quidem si de nimis facili erga alios credulitate agitur, meritò probatur; sed multò magis habere locum debet, contra nimiam de viribus nostris præfidentiam; præsertim, cùm de cælestibus donis, aut habendis, aut conservandis, qualis est Gratia & charitas DEI, Quæstio instituitur.

IV Sed quantum per tui diffidentiam à te recedis, tantum oportet, per inditam à DEO filiorum cordibus confidentiam, ad DEVM ipsum accedas, Quomodo enim qui præcepit, ut diligas

ligas Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, ac in eius gratia permaneas, inferorumq; pœnas minatur, si hoc non feceris; quomodo inquam tibi deerit, Si ejus gratiæ confisus, ad illud, præceptum implendum, te accinxeris? Scio & credo Christo dicenti Ioan: 3. *Non potest homo accipere à se quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo* Sed etiam eum dicentem audio: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis* Apoc: 2. & postea: *Qui sitit, veniet, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Scio donum hoc non obventurum segni & vecordi, cum mox addatur, *Qui vicerit possidebit hæc; & ego ero illi DEVS, & ille erit mihi filius.* Satis quoq; intelligo naturam gratiæ, de qua rectè ait S. Leo: *Gratia si non datur gratis, vel accipitur; gratia non est.* Scio, animam quærere DEVM non posse, nisi præveniatur ut quærat. Vtamur ergo ad hanc gratiæ divinæ conservandæ securitatem obtinendam duplici anchorâ. Nimirum á DEO enixè donum hoc petendo & omnino sperando: deinde ex parte nostra diligenter auxilio DEI cooperando. Ac inprimis projice te totum in DEVM per plenam fiduciæ orationem: Nam etsi oculus tibi sit sanissimus; tamen absq; subsidio lucis videre non potes. Scis DEVM esse Patrem luminum, scis Filium DEI esse lucem mundi; in tenebris ambulabis, nisi ab illis, radios tibi suos communicantibus illustreris. Nosti te pestilenti frigore à primi parentis lapsu afflatum, non posse flammam cælestem concipere, nisi Divinus ille ignis te accendat. Noli tamen in hac cogitatione obtorpescere: altiùs mentem attolle ad illum, *qui dat omnibus affluenter, & nihil improperat:* cujus filius nos ad audendum excitat. *Petite & accipietis:* cuius Prophætæ nos incitant: *Accedite ad eum & illuminanimi, & facies vestræ non confundentur.* Et: *Respicite filii nationes hominum. & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Imò veró, cur tam multi ad DEVM accurentes non fuerint confusi, hanc solam rationem adfert Propheta; *quia in illo speraverunt:* *In te* inquit, *Speraverunt Patres nostri; speraverunt, & non sunt confusi.* Hinc Mathatias, dum proximus morti, animos filiorum ad propugnandas leges patrias, ac in DEO sperandum; accenderet, vbi multa exempla eorum, qui sperantes in Domino auxilium ab eo,

contra

contra res adverſas, hoſteſq; formidandos acceperunt, atq; copioſis ſunt honeſtati præmiis, tandem adfert hoc epiphonema: *Et ita cogitate per generationem & generationem; quia omnes, qui ſperant in eum, non infirmantur.* Homo quippe eſt veluti infans tenellus, hoſtibus undiq; cinctus, eorumq; expoſitus inſidiis: prout enim is non poteſt ſe tueri, neq; ſi inſorduerit, mundare; aut lapſus erigere, aut jam erectus, niſi ope alterius, conſiſtere; vel progredi; ſi fames & ſitis urgeat, nec cibum quærere, & quod omnium miſerrimum, nullius in his opem flagitare poteſt: ita homo, non eſt ſufficiens aliquid ex ſe, quaſi ex ſe facere, nec dicere IESVS, niſi in Spiritu S. Ecce quàm rectè monet nos Dominus: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Solus enim, qui ſe talem cognoſcit, & ut talem æſtimat, accedit ad Dominum, dicentem: *Sinite parvulos venire ad me; talium eſt enim Regnum Cælorum.* Sicut ergo Infans parum aut nihil eſt ſolicitus, de victu, veſtitu, habitatione; ſed totam ſui quoad hæc providentiam reſignat in ſuos Curatores: ita & nos, quoad negotia & commoda noſtra, totam ſolicitudinem in Divinam projiciamus pietatem: hæc autem inſtar ſvaviſſimæ Matris, omnibus his infantilibus noſtris incommodis, amantiſſimè ſuccurret; prout promittit *per Iſaiam Cap: 66. Quomodo ſi cui Mater blandiatur; ita & ego conſolabor vos, & ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Ecce ego declinabo in vos fluvium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam. Et, Nunquid poteſt mulier obliviſci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit; ego tamen non obliviſcar Tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te;* non calamo & atramento, ſed clavis ferreis, & ſangvine pretioſo, ac vulneribus profundis.

V. Et certè quis in Chriſti vulneribus, ejuſq; Sanctiſſima cruce non videt conſtitutum ſibi ingens præſidium? ad quod exemplo Opilionum Arabiæ confugiendum eſſe monet S. Franciſcus Saleſius. In Arabia, inquit, dum obnubilatur, cælum, & tonitrua fulguraq; ac fulmina congeminantur, paſtores ſe, gregemq; ſuum ſubter laurum deducunt, ut ejus ramis ab omni injuria defendantur. Ita nos, dum res adverſæ

M minan-

minantur & ingruunt, ad S. Crucis umbraculum confugere oportet; fidendumq; DEVM amanti, & in Christi meritis spem collocanti, omnia prosperrimè ad animæ salutem cessura.

VI. Hinc S. Teressia svadet, ut cum paupertatis nostræ, & imperfectionum nostrarum consideratio nos angit, iis omissis, & quodammodo oblivioni traditis, reservata quadam in genere peccatorum memoriâ, nos in sinum misericordiæ Divinæ abjiciamus: ut cum solvendo non simus, ipse misericordiâ suâ, quâ erga peccatores utitur, supplere dignetur. Et addit. Personam quandam (arbitror ipsammet fuisse) cùm angeretur, nihil sibi suppetere, quod DEO offerret; Christum pro levamine hujus anxietatis, donâsse illi omnes suos dolores & labores, monuisseq; ut illos tanquam jam suos æterno Patri præsentaret; à quo tempore ita recreatam & locupletatam illam fuisse testatur, ut tanti doni oblivisci non posset, cujus vel sola memoria, novos ei semper animos adderet. Simili ferè cogitatione alius sese animabat, dicebatq; sibi. Si homo opulentus & liberalis, mille ducatos testamento legasset alicui pauperi, eosq; in fida amici manu, quoties pauper peteret, numerandos certâ quantitate deposuisset; pauper ille etsi tanto munere indignus, tamen legantis testamento confisus, ad illam eleemosynam obtinendam, tanquam jus ad eam habens, audacter accederet: & si aliquis ei objiceret indignitatem, velletq; illum ideo repellere, meritò responderet: Pecuniam illam à se non exigi, quasi meritis suis debitam; sed alterius bonâ erga se voluntate obsignatam, ut quoties ejus, qui legavit, nomine eam peteret, continuò sibi numeretur. Ita ferè nobiscum egit Christus. Legavit ille nobis merita, Passionem, mortem & animam suam, eamq; in manus Patris æterni deposuit, dicens: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Nos verò de usu horum donorum assecuravit, inquiens: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis.* En nobis Christus dedit Syngrapham nomine suo subscriptam, ut illâ ostensâ, impetremus apud Patrem cælestem, quidquid nobis ad salutem est necessarium; prout nos edocet S. Mater Ecclesia, toties in suis

Ora-

Orationibus repetens: Per Dominum nostrum IESVM Christum. Atq; hæc est prima anchora, quam Apostolus vocat firmam & tutam, & ad quam suos confugere Hæbreos hortatur.

VII. Alia anchora est, nostra cum DEI auxilio, ad Gratiam ejus in nobis jugiter conservandam, diligens cooperatio. Occurrerunt Christo castellum quoddam ingredienti decem leprosi, obnixè ab eo petentes misericordiam, seu ab illa affectione eliberationem. Potuit illos gratis omnino Christus curare; noluit tamen: Sed eis onerosam adjecit conditionem, ut se Sacerdotibus sisterent, & per hoc probarent suam obedientiam atq; humilitatem. *Ite ostendite vos.* Sicut enim Elisæus, Naaman Syro præcepit, ut si vellet à lepra mundari, septies lavaretur in Iordane. Vult enim DEVS, ut ipsius voluntati, quâ nos intendit in sua conservare Gratia, cooperemur: Vnde non frustra dictum: *Ora & labora.* Et: *Cum Iove manum move*; quia *Regnum Cælorum vim patitur.* Omnibus quidem per merita Christi ad illud est aperta Ianua; Sed quia hæc angusta, & arcta est; connitendum, contendendum, gravi habitus deponendi, ei, qui per illam vult intrare. *Vult quidem DEVS omnes salvos fieri*, ut Paulus testatur 1. Timot: 2. Sed quantùm est ex parte sua, & conditionatè; si & ipsi velint. Vnde ex hac voluntate, dat omnibus media ad salutem sufficientia ex sei quæ si complerentur per nostram cooperationem, redderentur completè efficacia. Atq; hoc videtur conforme Ezechieli c. 18. *Nunquid voluntatis meæ est, dicit Dominus, mors impii, & non magis, ut convertatur à viis suis pessimis, & vivat.* Et 2. Petri 3. *DEVS patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti.* In quem locum disserens S. Ambrosius ait: *Si DEVS qui omnipotens dicitur, omnes homines vult salvos fieri: cur non impletur ejus voluntas? Sed in locutione conditio latet. Vult enim DEVS omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum: non enim sic vult, ut nolentes salventur; sed vult illos salvari si & ipsi velint.* Voluit Abimelech extrahere Ieremiam è lacu, & sincerè quidem quantùm est ex parte sua; unde illi porrexit funem, aliaq; ad hoc requisita; sed conditionatè, ut & ipse cooperaretur ad extractionem, ut funem arripe-

ret, ut pannos sub'ascellis poneret. Nam si hoc Jeremias non fecisset, è lacu liberatus non fuisset; neq; potuisset culpare Abimelech quòd secum insincerè egisset: sed seipsum, quòd ex parte suâ voluntati illius defuisset. Hanc utramq; anchoram in rebus agendis adhibuit S. P. Ignatius, qui tantam diligentiam & providentiam ad eas conficiendas, ex parte sua adferebat, quasi tota res ex se uno, suaq; vigilantia & conatu penderet: Ex altera verò parte ita DEO ejusq; bonitati omnia committebat, acsi nihil ad earum felicem successum attulisset. E contra verò Legitur in vitis Patrum, quòd cum Eremicola quidam immundis vehementer urgeretur tentationibus, adierit alium Anachoretam virum sanctum, rogaveritq; fieri pro se preces ad DEVM, quatenus ab eo illas amoveret tentationes. Suscepit munus Vir Sanctus, intensè oravit, imò precibus jejunia, mortificationes, durasq; humi cubationes adjecit. Sed cum Eremicola nihil ex parte sua ageret; imò indulgeret sensibus, pro libitu manducaret, somno vacaret & otio, alienæ duntaxat opi fidens; easdem, imò graviores, quàm ante, patiebatur tentationes: tandemq; admonitus, ne suâ socordiâ, fructum orationum pro se ab alio fusarũ impediret; postquam & ipse manum operi admovit, tunc primùm ab illa vexatione liberatus fuit.

VIII. Timendum quippe est, ne si deseramus Gratiam DEI, illi non cooperando; deseramur quoq; ab illa: quod est formidabile malum; animusq; solius DEI cupidus hoc unicè in votis habeat, necesse est, ne vel ad momentum deseratur à DEO; cum inter tam multiplices hostes, tantaq; versetur pericula: ideoq; consultum est, singulis etiam horis illum pronuntiare versum: *Ne derelinquas me Domine DEVS meus, ne discesseris à me.* Et. *DEVS in adjutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.* Hinc P. Leonardus Lessius, illustris doctrinâ & virtute Theologus, solebat dicere: Vnicam negligentiam, Gratiæ Divinæ non cooperantem, præcludere aditum decursui multarum Gratiarum, quæ veluti concatenatæ, una post alteram confluxissent; siquidem diligentia ad uni Gratiæ cooperandum adhibita, viam munivisset ad alteram comparandam. Negligenti

lucrari

lucrari uno talento, legimus in Evangelio ablatum talentum; diligenti autem donatum: ut negligentiæ pænam, fructumq; diligentiæ hoc facto cognosceremus. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* dicunt Angeli apud Ieremiam c. 51. Babylon, quæ latinè confusionem significat, typus est animæ, quam ob sordes, & magnam in iis expurgandis negligentiam, pudor obruit; ac tandem non solùm Angeli; sed ipse quoq; Angelorum Dominus derelinquit. *Non convertam,* ait Dominus per Amos Prophetam, *faciem meam ad populos,* (quos ibi memorat) *ut eorum miserear: quia me clamantem, & ad meliora provocantem neglexerunt.* An non meritò tu id timere debes, qui ad tot DEI monentis voces obsurduisti; Audi ergo S. Augustinum in Psal: 80. dicentem: *Anima, quæ possessio DEI esse desiderat, nihil horribilius accidere potest, quàm à DEO deseri:* Hinc suos deinde ardentiùs hortatur, ut cor suum confidendo & amando aperiant; quatenus ab illo, qui est fons vitæ, repleri possit, vacuumq; non derelinqui.

O DEVS meus, ne elongeris à me; DEUS meus in auxilium meum respice, & me Sangvine Tuo emptum, stantem in lubrico, ac undiq; laqueis cinctum, trahe post te, in funiculis charitatis Tuæ. Tibi derelictus est Pauper; Orphano mihi Pater misericordiarum, sine quo nihil possum, esto adjutor. Tu enim es DEVS meus, unica spes mea, adjutor & protector meus, cornu salutis meæ & susceptor meus. Intra vulnera tua absconde me & non permittas me unquam separari à te.

MEDITATIO II.

De Proprietatibus Mortis.

Præludia: sicut ante.

PUNCTUM I. Esto mors certissima sit quò ad substantiam seu Esse; erit enim infallibiliter: simul tamen est incertissima, quòad circumstantias loci, temporis, & modi. Nemo enim scit, ubi, quando, & quomodo est moriturus. Vbi? Domi ne? an foris? in Civitate an in pago? in terra an in aqua? in hac Regione; an in illa? Quando? si hoc anno, vel sequente, vel alio?

lio; si hoc mense aut septimanâ? Quomodo? si morte prævisa an improvisa; repentinâ an maturâ; fulmine an gladiô, fame an peste? Propterea Christus toties in Evangelio nos monet, ut semper vigilantes & præparati simus ad mortem. Sicut servi, qui præstolantur Dominum suum, redeuntem à nuptiis, & nesciunt quandonam sit rediturus. Sicut Virgines quæ expectant sponsum, & ignorant, quâ hora est venturus. Sicut Pater familias, qui novit, unâ nocte, domum suam à latronibus invadendam; & nescit, quâ hora; ideoq; vigilat in omnibus. Sicut milites, qui ob metum hostium agunt excubias, in prima, secunda, & tertia vigilia noctis; quæ sunt symbola trium ætatum nostrarum, juventutis, maturitatis, & senectutis. Hinc etiam nos Scriptura monet; quòd Mors gerat se veluti fur, qui tunc aggreditur furtum, cum minimè putatur. Quòd gerat se veluti piscator, qui capit hamo & extrahit piscem, quando securus & intrepidus cum aliis natat. Si ergo est aliqua in mundo Prudentia, non alibi est impensiùs & solicitiùs impendenda, quàm in procuranda securitate hujus negotii, quod homini unicè est necessarium. O cæcam temeritatem mortalium! qui tantâ solicitudine provident ac præcavent pericula in aliis negotiis humanis; obliti periculi formidabilis, in quo vivunt; ne per improvisam mortem perdant æternum suæ salvationis negotium.

II. Hæc etiam est proprietas mortis valdè timenda, quòd scilicet semel fiat, cum sit unica, nec repeti possit: unde error in illa commissus semel, non est ampliùs reparabilis? Nam, ut ait Sapiens: *Vbicunq; ceciderit lignum, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit.* Si quis altum puteum vel profundam foveam deberet transilire, nonne ille à longe cursum inchoaret, metuendo ne in illud præcipitium caderet, de quo jam nunquam posset emergere, sed omnino perire deberet. Infernus cum suis æternis tormentis, altus puteus, nimis profunda fovea est; Mors autem est saltus, quo iste puteus & fovea superari debet. Ne ergo iste saltus malè succedat, ne ex illo contingat lapsus & casus in illam voraginem; quantum est metuendum? Imò

ut benè

ut benè ac fortunatè ſaltus iſte eveniat, quantùm eſt rogandu DEVS, ut opportunum præbeat auxilium. quantùm roganda Virgo Deipara, alijq; Cælites, ut implorent nobis opem, & Vires neceſſarias ſuppeditent. Nonne ſaltus iſte à longe eſt inchoandus, per Orationes, bona opera, actus virtutum, per mortificationem ſenſuum, & inordinatorum affectuum. Si quis in luſu alearum exponit totam ſubſtantiam ſuam, ita, ut poſt ultimum jactum aleæ, aut ei perdenda ſit tota illa ſubſtantia, aut cum pari fænore lucranda; quantũ metueret, ne ipſi ille ultimus jactus malè cederet; quantùm curaret, ut fauſtè ei alea faveret! quibus ille votis ad id aſpiraret! quos ille modos non adhiberet! ſi illis ultimum illum jactum, felicem præſtare poſſet. Mors, eſt ultima ſors ludi, cui exponimus æternam totamq; ſubſtantiam noſtram, quam ſi ſemel perdimus, omnia in æternum manent nobis perdita. Eſt in poteſtate noſtra, ut iſta ſors nobis faveat; ſi nimirum nunc vitam rectam agamus, benè ſperandum ut etiam bonum finem illius habituri ſimus. Qualis enim præcedit vita; tali ordinariè ſuccedit mors. Qualis vox talis Echo; quales Præmiſſæ, talis Concluſio.

III. Actiones difficiles & inuſitatæ non ſolent primâ vice benè ſuccedere; unde illas repetimus ut corrigamus, Si autem repeti non poſſint, ſimiles illis ſtudioſè priùs exercemus; Vt in ſimili Habitum acquiramus, quò illam actionem poſtea benè exerceamus. Nulla actio eſt mihi magis inuſitata, magiſq; difficilis quam benè mori. Cum ergo iſta actio repeti non poſſit; ſed ſemel tantùm debeat fieri, quare me in ſimilibus diligenter non exerceo, ut habitum acquiram, illam quàm optimè peragendi: Ergo proponam in iis me virtutum actibus exercere, quos unicè neceſſarios eſſe ſcio ad benè moriendum, uti ſunt: Actus Fidei, Spei; Charitatis, Doloris, Deteſtationis, Propoſiti, Reſignationis, condonationis injuriarum, commendationis &c. Si alicui homini, qui nunquam eſſet jaculatus in ſcopum, daretur ſpatium trium dierum, exercendi ſe in jaculando ut ita dexter evaderet, ad hoc, ut ſi primo jactu ſcopum attingeret, Rex eſſet creandus: ſin minus comburendus

vivus.

vivus. Certum eſt quòd talis homo, niſi amens eſſet, in nullo alio, totum illud tempus expenderet, niſi in comparanda per actus frequentes, dexteritate jaculandi, ne poſtea illo *jactu* cujus ipſi tanti intererat, aberraret à ſcopo. Ad quid nobis datur hujus vitæ tempus, niſi ut nobis comparemus dexteritatem jaculandi in ſcopum bonæ mortis; comparemus, inquam, mortificatione noſtrorum ſenſuum, & pravarum cupiditatum: Ita, ut ſi uno ultimo jactu, metam benè attigerimus, Reges in æternum evadamus; Si verò ab illa aberraverimus, vivi in æternum comburendi ſimus igne infernali. Quanta ergo eſt amentia, in nugis & inutilibus actibus perdere pretioſum hoc tempus, & non impendere illud mortificationi noſtrî, ut ita diſcamus quotidie mori, quatenus poſtea ſecurè poſſimus tangere ſcopum bonæ mortis.

Colloquium fiat cum Angelo cuſtode, rogando ipſum, ut ille nos identidem excitet illo monitorio. *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Vt nos tanquam Præceptor & Magiſter doceat, quomodo nos debeamus exercere in actibus bonæ morti ſervientibus; ut nobis in illo puncto aſſiſtat, hoſtes arceat, tentationes removeat, per puteum illum transferat &c.

O Domina mea Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem &c.

REFLEXIO
Supra
PATIENTIAM.

DVm Tibi dilaniat lædens injuria pectus;
Aut aliis ſocius pandit Tua crimina; lingvam
Reprime mordacem; nec labris lora reſolve.
Nulla Tuam triſtis notet indignatio frontem,
Iraq; ne furiat; ſtrictis frænetur habenis,
Neve Tuo pateat conturbans læſio vultu,

Nec,

Nec, licet in justas solvat se lingva querelas;
Tunc nisi, dum precibus peramanter sidera pulsas,
Dum Te despiciunt alii; vel turpè cachinnis
Subsultant; lacerantq; fibras, seu mille dolores,
Seu morbi, aut mors ipsa premit; seu turba malorum,
Lætitia Tu solve animum, vultumq; serena,
Indignum Te pace puta, sceleriq; nefando
In pretium venisse graves cum vindice pœnas.
Quamvis Te gravibus jactent adversa procellis,
Pax interna Tuo ne cedat pectore pulsa.
Ingeme cum Iobo, dum cor mœrore fatiscit;
Sit nomen Domini benedictum: mente precare
Sufficiat Numen vires, tolerare dolores
Vt possis, mœrensq; tuis confidere rebus.
Vim patior Domine, exclamans. Pluresq; precare
Ærumnas; si nostra salus, si gloria surgat
Hinc major Domini: verbo facieq; benigna
Respondere stude illi, qui te læserat, atq;
Lædenti famuletur amor: prorsusq; malorum
Oblitus, bona persolvat. Cælestia flagrans
Lumina solicites socio, precibusq; repende,
Qui Tua jam multis laceravit pectora damnis.

REFLEXIO,
Supra
CONFESSIONEM SACRAMENTALEM

PRæteritos memori defectus mente revolve,
Quos contra Numen, Socios, contraq; teipsum,
Facto vel lingvâ, vel saltem corde patrasti.
Tum geme, tum propone cavere; tribunal
Appella Christi; coram quo cuncta fatere.
Supplicio te subde libens, majoraq; votis
Concipe, quæ dignè malè concita crimina mulctent.

Quam Sacer in unxit Iudex, non neglige pœnam:
Hanc mæsti cumulet devotio vivida cordis.

DOGMA POMERIDIANVM.

Crescendum in Gratia DEI.

I. QVemadmodum vita naturalis, propter actiones vitales, compositis viventibus attributa, est illis principium crescendi, & ad terminum, statamq; molem magnitudinis perveniendi: in hunc enim finem arbores, & plantæ vitam vegetativam acceperunt, ut se se alant, & nutriant: animalia quoq; per vitam sensitivam non solùm sentiunt, sed & loco se movent: homines demum per vitam intellectivam non solùm intelligunt: & proprio arbitratu se gubernant; verùm etiam crescunt. Ita vita Gratiæ Spiritualis suum exigit in homine incrementum: atq;, ut loquitur Augustinus Ep. 106. *meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Neq; enim sufficerit, ita vitam hanc, Divinæ consortem, tueri ac defendere, ut nec letali crimine confecta pereat, nec idoneâ ad interitum per leviores noxas dispositione, paulatim collabascat; verùm id non minùs ardenter agendum, ut parta gratia amplificetur, & novis quotidie cumuletur accessionibus. Natura & Gratia sorores sunt: verùm in hoc nimis quàm dissimiles; quòd hæc nunquam non possit crescere, & major esse: illa verò ab imperfecto incipit, & paulatim magìq; crescit: donec suæ perfectionis apicem consequatur. Quercus crescit in annum centesimum; & hic terminus esto. Cervus quotannis unum ramum cornu suo adjicit; sed non sine termino; unde ejus ætas dignoscitur. Palma singulis mensibus singulos addit ramos; unde olim menses in ejus ramis numerabantur; teste Pierio l. 7. Hierogl: & post unum ætatis seculum fructificare incipit. Homines quoq;, teste Ariagâ de termino accretionis, & augmentationis differente, crescunt nonnisi ad annum quintum supra vigesimum. Vt enim homo crescat, requiritur, ossa & nervos molles esse, qui tunc obdurueres nec primi Parentes, qui ad 900. annos vixerunt, semper sine termino creverunt. Potest quidem humanum corpus post an-

num 25.

num 25. crescere in latum; quia caro ratione nutrimenti augetur; non tamen sine termino: neq; enim homo magnitudinem turris, neq; mus molem elephanti poterit adæquare. Vnde dicit Aristoteles l. 2. de anima; quòd *omnium naturâ constantium, est terminus, & ratio magnitudinis, atq; augmenti.*

II. At verò terminus in Gratia crescendi, virtutemq; & perfectionem augendi, in hac vita nulli unquam positus est; semperq; justis *Plus ultra* progrediendum: qui idcirco comparantur cedro Libani. Quia, ut ait Apponius l. 5 de finibus, Cedrus semper fertur crescere, nec aliquando ire in senectam. Tales nos esse decet. Nam ut ait S. Gregorius l. 4. Mor: c. 22. *Vita Christiani* (liceat addere, quantò magìs Religiosi) *dies, sunt virtutes singulæ: menses autem, multiplicia facta virtutum.* Errabant igitur toto cælo Stoici, ut apud Ciceronem & Laërtium legere est, dum assererent: *Virtutem non posse crescere, & fieri majorem:* & cum illis Seneca dicens: *In hac vita posse pervenire hominem ita ad summum Virtutis, ut non sit incremento locus* Verùm hæ non apud solos Ethnicos hæsere falsitates; error hic quoq; fuit Ioviniani, neminem justitiâ ac virtute crescere posse; uti nec à vitio, cælo judice, decrescere atq; deficere, asserentis Huic verò affine Lutheri dogma: qui etiam negavit, mortales posse crescere in Iustitia; quasi illa non esset intrinseca, atq; inhærens, sed extrinseca, & adscititia: puta imputatio justitiæ Christi, quæ in omnibus justis est par atq; æqualis. Asserebant perperam alii, referente Spondano anno 1311. Hominem in hac vita posse assequi talem gradum perfectionis utampliùs proficere in gratia nequeat: alioquin si semper cresceret, posse Christo perfectiorem fieri Addebant; eum, qui talem gradum adeptus esset, posse liberè corpori concedere, quidquid ei placet; nec ad ullum aut Ecclesiasticæ, aut humanæ potestatis præceptum teneri: quia *Vbi Spiritus, ibi libertas.*

III. Contra hos stetit, stabitq; æternùm recepta cælo terrisq; veritas; Christianum in justitia, gratiâ, charitate, cæterisq; virtutibus crescere posse; imò & debere; nisi & à se, & à Christo suo deficere velit, atq; degenerare; de quo illud ex Evangelio no-

lio notissimum: *Puer autem crescebat, & confortabatur.* Et, *IESVS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud DEVM & homines.* Luc. 2. Quod quidem, ut D. Bern: loquitur, non secundùm quod erat (Sapientia enim & gratia Filii DEI non minor fuit infantis, quàm viri; nascentis, quàm morientis) sed secundùm quod apparebat, intelligendum est. Id autem dum fecit candor lucis æternæ, & lumen indeficiens, deviis mortalibus facem prætulit, ut & ipsi, sicut ætate & annis, ita sapientiâ & gratiâ crescerent. Æquum enim est propter infinitam DEI sanctitatem & perfectionem, ut in nobis, saltem juxta incrementum ætatis, habeant sua incrementa, quæ nos faciant perfectos, & Sanctos, virtutes. Nam teste S. Gregorio l. 21. mor. c. 13. *Electis, cum foris ætas corporis; intùs, si dici liceat, crescit ætas virtutis.* Quod incrementum pulchrè sic explicat S. Paulinus Nolanus Episcopus ep. 3. ad Severum: *Christus, sicut in illo ipso homine, quem gessit, ita in nostris mentibus, gradus quosdam corporeæ ætatis exequitur. Nascitur, crescit, roboratur, senescit. Sed orandus, ne in nobis diu, aut jugiter parvulus, & infirmus, & pauper fit: hoc est, ne anima justi DEVM in se habens, hæreat in uno statu, sine profectu ad meliora, & perfectiora virtutum incrementa. Qui enim dicit,* inquit S. Ioannes, *se in ipso manere* (quod fit per gratiam) *debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Si ergo (subjicit Bernardus) *illo currente, tu gradum sistis; non Christo appropias, sed te magis elongas. Vidit Scalam Iacob, & in Scala Angelos; ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit; sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi.*

IV. Iam verò quis cupiditate Sanctâ non ardeat cumulandarum Opum, tam pronis conditionibus, tam facilibus lucris præstantium; ac tantopere acceptis optatisq; DEO animam vocanti, excitanti, urgenti, nunc sponsæ, nunc amicæ, nunc columbæ, nunc formosæ, titulis speciosis; ut nimirum properet ad paratas Coronas; progressuq; vitæ Sanctioris, ad se festinet, & advolet. Nam etiamsi letalis culpæ conscio, non liceat supersedere ab iis operibus, ne simul præcludat ad se misericordiæ Divinæ aditum; quæ illis permota solet reum excitare ad reparandam gratiam; verùm possessor Gratiæ Divinæ non sine culpa

cessaturus

cessaturus est vel puncto temporis, ab illa, sanctis operibus augenda, ut in horas meritis ditior, gratiorq; DEO evadat. An enim decet amicum & filium DEI denegare DEO, ne seipsum quidem neganti, quòd tantopere ab eo exigit? an decet expectanti lætissimos vineæ fructus, paucos ei, aut nullos reddere! cum, modò non desit manus colentis, possit ei uberrimos ferre atq; perpetuos? Ac, licet nullâ re offenderetur à te DEVS, excusandis erroribus, precando rariùs, laxiùsq; vivendo: quanta tamen in dies, in menses, in annos, damna computabis, si attendas, plurimas meritorum occasiones, augendæ in præsens gratiæ, ac in futurum gloriæ, singulis tibi non deesse horis? Si enim opulentus argentarius immensam auri vim, mille sibi quotidie nummos parientem, ultro in mare projiciat; quis illum non dicat, non solùm de homine, sed etiam de pecude, minùs habere? At enim dispendium meritorum irreparabile, quibus gratiâ Divinâ informatis, velut totidem regnis, amplificaturus eras perennem tuæ beatitatis portionem, quo pacto solabere? Æternas ac innumerabiles gratiæ & gloriæ jacturas, quo pretio redimes? cùm interea posses, si velles, copiosissimo earum quæstu locupletari, ac in immensum crescere.

V. Ad hoc nobis frequentes subduntur aculei, dum jubemur; *Adhuc Sanctificari & justificari, licet simus Sancti & justi,* dum compellimur *in charitate & bono opere crescere; in anteriora, seu priora extendi; renovari de die in diem; abundare charitate magis ac magis, probare potiora, crescere in illo per omnia, qui est caput Christus; beatum putare, qui ascensiones disposuit in corde suo;* & plurimis locis modisq; admonemur, ne augmenti pretiosissimi vacuas sinamus nobis elabi opportunitates; præsertim, cùm hic crescendi modus sit æquè felicissimus ac velocissimus. Pueri ut maximè crescere possint, non unum cereum S. Crescentio accendunt; & tamen longiore annorum tractu vix cubitum staturæ adjiciunt, multisq; opus est lustris, priusquam in virum perfectum excrescant. At verò summus ille rerum Conditor, qui incrementum dat rebus, DEVS, ocyssimè nos crescere & in via virtutis progredi ardentissimè desiderat; nec testudineo

passu, sed cursu celerrimo hoc cæleste stadium nos decurrere tritâ *justorum semitâ quæ lux est*, exoptat. Quasi enim *per quandam diem Sanctis incedere est mente; ire semper ad meliora*, inquit S. Gregorius hom: 3. in Ezech: *usq; dum perfectam beatitatis meridiem attingant*: secundùm illud S. Regis vaticinium Psal: 83. *Ibunt de virtute in virtutem; donec videbitur DEVS Deorum in Sion.* Quemadmodum ivit S. Fursæus, qui in quodam mentis excessu audivit de se, suiq; similibus, hoc ipso versiculo Angelos gratulantes. Vnde non est existimandum; hominem posse hîc ad eam perfectionis meridiem pertingere, ut altiùs crescere nequeat; sed ut citatus Gregor. loquitur: *Vos autem usq; ad perfectum diem crescite; ut quousq; patria æterna videatur, bonorum operum tibi augmenta dilatentur.* Epist: 125.

VI. Iacob Patriarcha dissimilem prorsus benedictionem duobus filiis moriens impertivit. Rubeno quidem primogenituram obtulit, dixit tamen: *Non crescas.* Iosepho verò, ait: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu* Gen: 49. Quid sibi volunt duo isti fratres? Primus, filios Christi degeneres designat, qui cùm radicem bonorum operum Gratiam non habeant, nullo prorsus labore suo, nullis sudoribus, non jejuniis, non orationibus, non misericordia, seu tolerantia, quidquam mereri possunt, ut illis particula cælestis præmii aliqua accrescat: ac proinde meritò sibi quisq; eorum in tesseram illud assumit; *Non crescas.* At filii Christi, cujus Iosephus typum gessit, semper accrescunt in Gratia, & virtute æquè feliciter, ac celeriter. Ajebat Cassiodorus de viro honorato & Patricio: *Non est nobis crescendi hic ordo, qui multis est paulatim provehi, mediocris probatur esse virtutis.* Quantò magis Religiosi, non paulatim sed celerrimè crescere debent, usq; ad perfectam diem: imitariq; illos DEI servos, qui, ut est auctor S. Gregor: Nazianz: or: 1. in Iulian. *Nullum ascensûs & DEIficationis modum* (hoc est terminum seu finem) *agnoscebant.* *Par enim est*, ut, sicut ait S. Ambros. lib: 1. Offic: c. 17. *cum ætate accrescant* simul studia bonorum actuum. Taliter profectò crescebat S. Fulgentius, qui parum putans omne quod faciebat, de die in diem melior gesti-

ebat

ebat fieri. Taliter S. Iacobus à Theodoreto laudatus, qui in rebus Divinis quotidie proficere videbatur. Taliter S. Pachomius, qui plurimorum Patrum considerans instituta, dabat semper operam, ut cum proprio fratre, ad majora virtutis augmenta consurgeret. Sed maximè hac in re excelluit S. P. N. Ignatius, de quo testis juratus in vita ejus narrat: *quòd præsentem diem cum hesterno conferens, & cum profectu profectum; longiùs se quotidie progressum, & ardentioribus in dies inflammatum studiis reperiebat.* Id autem omnibus nobis optimus Parens reliquit 3. par: Constit c. 1. § 10. *Vt omnes curent semper ulterius, vel in dies, magis ac magis, in via Divini servitii progressum facere.*

VII. Crescamus itaq; in mille millia per Gratiam, & in Gratia; *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:* hoc est, interprete S. Ambrosio, *Gratiæ Spiritûs, ac virtutum incremento & perfectione.* Nulla sit in nobis Gratiæ, nulla virtutis, & virium, ac diligentiæ non operosa particula; ut jure possimus à semper divite, bonoq; Domino plura exspectare, atq; petere; & à justo suorum bonorum vindice ac æstimatore, mulctam de talento non aucto, non timere. Hinc valde cavendum monet Apostolus Hebr: 2. *Ne quis desit Gratiæ DEI*; in qua veluti Paradiso, non sumus ad fovendam desidiam constituti; sed ut *operemur & custodiamus*; hoc est, Gratiam nobis collatam & tueamur, & augeamus; alias à nobis auferendam. Et alio loco idem Paulus hortatur, *ne in vacuum Gratiam* DEI *recipiamus*: *Abhorret enim pejus ab otio Gratia*, inquit Gerson, *quàm natura à vacuo; quæ ut hoc evitet, sua deq; agitur, legesq; sibi fixas refigit, & evertit*: Otium verò ut vitet Gratia, inertem animam miserabiliter relinquit: quis enim ingrato datum, non putat se perdidisse? quis non dolet periisse, quod dederat? quis jactam in agrum sementem haud excrescere, non queritur?

VIII. Æquum igitur est, gratum esse, qui cupit accepta Gratiæ beneficia tueri, & nova iis addere. Ex Gratiæ trunco gratia oritur, ex profectibus profectus, & lucra ex lucris, parantq; quærendis meritis jam quæsita locum: quantò enim quis plura adeptus est, tantò valentior sese porrigit ad majora; &

quò

quó magis avaras ad cogendos Gratiæ thesauros contentiones, explicuit, eò avarior in quæstus novos insudat. *Nam qui edunt me adhuc esurient; sed beata omnino satietate explebuntur. Beati enim qui esuriunt & sitiunt Iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Vtinam verò hæc Sancta crescendi quotidie in Gratia DEI orexis, in nobis accendatur: profectò studium hoc provocaret oculos Curiæ cælestis, in admirationem nostri, ut diceret: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens:* Initio scilicet diei, dum est surgendum, orandum, meditandum, sacris operandum *Pulchra ut luna;* In progressu nimirum diei, dum studia tractanda, lectiones parandæ, Sacramenta administranda, conversandum cum hominibus, incumbendum destinatis ab ordine domestico muniis. *Electa ut Sol,* Scilicet in decursu diei, dum Litaniæ recitandæ, conscientia discutienda, dicandæ DEO actiones, vacandum somno &c. *Terribilis ut Castrorum acies ordinata.* dum hosti tartareo resistendum, passiones rebelles domandæ, vincendæ carnis, mundi, ac Dæmonis tentationes. Et certè si omnia amant suam perfectionem, & ad eam contendunt; nam & sol crescit quotidie usq; ad perfectum diem, & luna ad suam plenitudinem aspirat, & astra cælorumq; orbes, suas absolvunt revolutiones; & omnia elementa, ad suum centrum nativo properant conatu; & animalia ac plantæ præfixos à natura terminos attingere conantur: solusne homo in amanda, sectandaq; sua perfectione tepescet? Solusne ad illam qotidianis & continuis virtutum passibus non progredietur? Qui statuam ex ligno format; repetitis ictibus lignum scalpendo dedolat, & semper ei aliquid demit: qui verò, penicillo imaginem depingit, colores coloribus adjicit, & sic perfectum opus absolvit. Et nobis, prior ille agendi modus, circa Corpus amoremq; proprium convenit; ut illi semper alquid demamus ac subtrahamus; posterior verò circa animam ejusq; cultum adhibendus; ut variis virtutum coloribus pedetentim ad DEI similitudinem conformetur, fiatq; in illa, quod Christus in Evangelio à suis fieri postulat imitatoribus *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

MEDITA-

MEDITATIO III.

De accidentibus Mortis Hominum tepidorum.

Præludia: ſicut ante.

PVNCTVM I. Conſidera, quidnam ante mortem infirmo homini ſoleat accidere? Quomodo augeſcente ægritudine, omnes potentiæ exteriores & interiores reddantur debiliores. Nam viſus hebeſcit, auditus obſurdeſcit, amareſcit guſtus, vis locutiva fatiſcit. Memoria quoq; deficit, intellectus perturbatur, voluntas hebetatur. His autem debilitatis, redditur homo inhabilior, ad ſuas actiones & functiones, etiam connaturales ac valde uſitatas. quid erit ad ſupernaturales & parum uſitatas, tunc autem valdè neceſſarias? Huc accedunt impedimenta Medicorum, Medicinarum, Viſitationum, confectionis teſtamenti &c. Magna profectò amentia eſt, differre ad tempus tam impeditum, negotium tam difficilè, tantiq; momenti. Quis enim inter tot obſtacula, curas, ſolicitudines & anxietates, poterit reparare, ſarcire, conſuere atq; perficere veſtem nuptialem, neceſſariam ad intrandum in cæleſte convivium? Procul dubio innumeri ſunt, qui pereunt in æternum, eò quòd diſpoſitionem ſui ad mortem, differant ad extremos vitæ terminos. Iam verò quando ægrotus deſperatus à medicis, perſvadet ſibi, mortem ſuam jam eſſe vicinam; quis poterit explicare, quantis crucietur anguſtiis & angoribus? Si enim ſola memoria mortis, tam amara eſt, ut ait Sapiens; quàm amara erit ipſa mortis præſentia? 1. enim tunc hominem angit illa univerſalis violentaq; charorum omnium ſpoliatio; quia *non amittitur ſine dolore, quod tenetur cum amore.* 2. angit recordatio vitæ præteritæ, in peccatis, in vanitatibus, in oblivione DEI ſuæq; ſalutis, tranſactæ. 3. angit recordatio tot mediorum facilium, tot occaſionum opportunarum, tot inſpirationum Divinarum, tot monitorum ac exemplorum bonorum; quæ omnia ſine fructu tranſiêre. 4. angit recordatio tanti temporis deperditi, tot horarum malè inſumptarum, quarum vel unica

tunc expetetur, & fortè non impetrabitur. si angit incertitudo sortis mox eventuræ, aut gloriæ æternæ obtinendæ cum Angelis, aut pœnæ æternæ subeundæ cum dæmonibus. Huc accedit ipsorum Dæmonum sollicitudo; qui sicut in vita laxant conscientias, ut peccetur; ita in morte easdem constringunt, ut desperetur; exaggerando gravitatem ac multitudinem peccatorum, rigoremq; Iustitiæ Divinæ.

II. Considera quid agatur in ipsa morte cum Infirmo? Quomodo tunc nesciet quò se vertat. Tum quia tunc recordabitur multorum peccatorum; tum quia illi ea, quæ antea levia apparebant, tunc videbuntur gravissima; tum quia tunc maximè dubitabit odio ne an amore sit dignus: tum quia tunc hærebit anceps, an veram habeat de peccatis contritionem; ideoq; tunc, ita erit attonitus, ut nesciat quò se vertat. Nam si oculos ad cælum sustulerit; imminebit ei DEVS iratus, gladium vindictæ contra eum distringens. si oculos deorsum conjecerit; videbit corpori præparatum sepulchrum, tetrum odorem exhalans; animæ verò, quàm negligenter habuit, apertam inferorum abyssum. Si verò seipsum ingressus fuerit, inveniet turbam peccatorum, quorum conscientia æternis eum suppliciis addicet. Si verò se circumspexerit; videbit circumstantium dæmonum turmas, catalogum peccatorum sibi evolventes, & patulis faucibus, in animam veluti in prædam inhiantes. Volet quidem miser seipsum fugere: sed fieri non poterit; volet terga vertere, sed non concedetur. Quando verò tandem venitur ad extremum vitæ conflictum, quando cereus accenditur, & in aurem inclamatur, ut saltem corde, si non ore, DEO se commendet; quantis tunc premetur angoribus? siquidem in hoc puncto, Sanctissimi etiam viri, magno metu concuti solent. ut S. Hilarion exclamans: *Egredere anima mea, quid times? 70. annis servivisti DEO, & mori times?* Perpende, quomodo tunc totus pallescat, extrema manuum pedumq; frigescant; oculi concidant, corpus totum sudore madeat, pulsus langvescat, anhelitus sæpè trahatur, pectus constringatur & palpitet; atq; mox subeat letalis oppressio & aculeus mortis, quo anima

cogitur

cogitur à corpore migrare. IESV pro me agonizans, per tuum agonem humillimè rogo, memento agonis mei, quem ego cum illo unio, illiq; incorporo.

III. Considera quidnam eveniat post Mortem? Quomodo corpus, antea cautè & honorificè tractatum, destitutum anima, reddetur tam deforme, fædum, fætidum, horribile; ut illud omnes horreant intueri ac tangere: imô curant è domo statim eijcere, quantumvis dilectum esset, dum viveret. Sed quomodo illud ornant? Vilissimo aliquò indusio, vel despectà & attrita veste involvunt. neque ob id queritur, quantumvis Magni Principis corpus sit. Mox fertur ad illud angustum cubile, durumq; lectulum; ubi, ut ait Isaias, loco culcitrarum *subtus illud, sternentur tineæ, operimentum autem illius erunt vermes*; cortinæ verò & pulvinaria, ossa aliorum mortuorum; ibiq; sepultum relinquitur in perpetua oblivione. En sors, quæ infallibiliter expectat hoc mei corporis sterquilinium. Ergo curabo illud ita tractare modò, ut animam non præcipitet in exitium.

Colloquium fiat cum DEO; rogando, quatenus hæc ita imprimantur animo tuo, ut vitam, deinceps instituas eo modò, quo velles instituisse, quando pervenies ad mortis agonem. Qui enim benè vivit; non potest, ordinariè loquendo, malè mori.

De profundis &c.

DIES QVINTA

Dedicanda Sanctis Patriarchis, Ioanni Baptistæ, Iosepho, Ioachimo, Sancto Patri Ignatio, in gratiarum actionem pro beneficio Vocationis ad Religionem; in satisfactionem pro peccatis contra Vota Religiosa patratis; ad impetrandam finalem in Sancta Religione perseverantiam, tam sibi, quàm tentatis in vocatione Religiosa.

MEDITATIO I.

De Morte Iustorum ac fervidorum Religiosorũ.

Præludi I. Audi DEUM sapientiæ 3. dicentem: *Iustorum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentorum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace:* Item. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.*

Prælud: II. Pete gratiam à DEO, ut tibi sors bonæ mortis obveniat; obveniet autem, si modò vitam rectè, & juxta leges DEI institueris.

PUNCTUM I. Etiamsi mors ex natura sua, omnibus hominibus, tam Iustis quàm injustis sit valdè terribilis ac formidabilis; quia in se est grande malum naturæ particularis, seu hujus numero Individui: nam illud spoliat summo naturali bono, nimirum vita, aliisq; bonis ad vitæ commoda pertinentibus: quæ spoliatio non potest fieri sine gravi dolore & afflictione. Hinc ipse Christus D. ut ostenderet se esse verum hominem, mortem naturaliter timuit; atq; hunc timorem signis exterioribus ostendit. Tamen aliter justis, aliter injustis est terribilis. Isti enim ita eam timent, ut huic timori communiter habeant adjunctum timoem æternæ mortis mox imminentis, ac desperationem nimiùm sui afflictivam; unde naturalem mortem cum angore expectant tanquam terminum & finem commodorum ac voluptatum temporalium; initium verò æternorum tormentorum. Iusti autem, etsi ex infirmitate naturæ, dum instat mors, turbentur; tamen quia sciunt, post mortem felicius se victuros, intus gaudent; Vnde illam cum desiderio expectant, tanquam terminum ærumnarum hujus vitæ, & principium felicitatis æternæ; adeoq; timendo lætantur, & lætando timent. Igitur cum Propheta dicunt Psalmo 4. *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te DEUS.* Et cum Apostolo ad Philip: 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et cum S. Martino fidenter Diabolo dicunt: *Quid hic adstas cruenta Bestia; nihil in me funeste reperies; sinus Abrahæ me excipiet.* Et cum S. Ambrosio: *Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus,*

habemus. Vide quomodo tu mortem expectabis. Gratulare Sanctis istam felicitatem: poterisne similia dicere? Aude tamen, non in te, sed in Christo tanquam Capite tuo. Elice hos illorum actus; eosq; tibi appropria: roga DEVM, ut hoc valeat semel pro semper.

II. Quid verò agitur cum Iusto in ipsa morte: 1. in corpore patitur quidem ægritudines, dolores; sed eos hilari animo perfert; imô pro violis & rosis reputat: unde plures à DEO immitti sibi desiderat, ingeminans cum S. Augustino: *Domine adauge dolores; sed simul adauge patientiam:* tum quia scit, se per illos dolores & angores satisfacturum hîc pro suis peccatis justitiæ Divinæ & pœnas purgatorii meritas expiaturum: tum quia cupit Christo patienti conformari; tum quia novit illas afflictiones, æternum gloriæ pondus in illo operaturas. Minimè etiam hinc dolet, quòd avellatur à corpore, cæterisq; hujus mundi rebus creatis; quia jam pridem ista despexit, iisq; renuntiavit; eò quod ista fuerint sibi impedimento, quominùs perfectè serviret DEO suo. Sicut obest sarcina Viatori, ne properet in via; aut sicut incarcerato obest carcer ne lucem videat; aut volucri Cavea, ne quantocius evolet. Hinc dicunt: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Infelix ego homo. quis me liberabit de corpore mortis hujus. Educ de custodia animam meam.* 2. in anima depulso omni metu & angore, sentit insolitam pacem & consolationem; tum ob testimonium bonæ conscientiæ à peccatis expiatæ; tum ob Sacramenta omnia ritè suscepta; tum ob fiduciam in DEI misericordia positam; usq; adeo, ut videatur sibi jam prægustare, dulcedinem voluptatum Patriæ Cælestis. Itaq; si respiciat supra se, videt Iudicem propitium, vultu amæno, & verbis solatii plenis, animum ac fiduciam sibi addentem, ad præmiumq; æternum blandè invitantem. *Ego sum noli timere. Vide manus meas & latus meum, quibus es redemptus. Leva caput tuum, quoniam appropinquavit redemptio tua. Iam hiems transiit, imber abiit, flores apparuerunt in terra nostra; veni dilecte mi; intra in gaudium Domini tui.* Si respiciat circa se, videt cumulum SS. Angelorum & Patronorum, se consolantium; siquidem illos in vita reddebat sibi propitios. Si tandem respiciat infra se, videt infer-

num clausum; ac dæmones procul abactos; quos in vita sæpius expugnabat? O mortem talem omni vitâ pretiosiorem? quis pro te non libenter omnia impendat? dummodo te sibi emat.

III. Quid tandem agitur cum Iusto post mortem? 1. anima ejus cum triumpho in Cælum deducitur; *Hac est via,* clamabant Angeli post obitum S. Benedicti, *quâ dilectus* DEO *Benedictus Cælum intravit.* Ostendendo lucis radios, veluti quandam semitam per quam deducebatur. Simili via S. Benedictus vidit Germani Episcopi animam deduci, S. P. Ignatius vidit animam Socii sui Hosij, à multorum SS. comitatu, in cælum deportari. Servulum Mendicum vetulum paralysi tactum, Angeli cum jubilo in cælum deducebant, sicut testatur S. Gregorius. Quis Principum mundanorum, in suo funere talem habuit Musicam? 2. Corpora quoq; SS. in magna sunt apud DEVM & Ecclesiam Sanctam veneratione. Corpus S. Catharinæ in monte Sinai, ab Angelis sepultum, honorificentissimè colitur. Corpus S. Cæciliæ, per mille & aliquot centena annorum hucusq; integrum perseverat. Corpus S. Francisci Xaverij, hucusq; integrum manet & miraculis coruscat; aliorumq; SS. Corpora DEVS integra conservat, & per illa, tanquam sua instrumenta, innumera patrat miracula. Quis verò cultus, quis honor corporibus SS. ab Ecclesia non impenditur? His thecæ pretiosæ, illis altaria, illis sacella struuntur. Post obitum Iusti viri, accurrunt homines ad corpus illius deosculandum, & reculas pro reliquiis diripiendas. Memoria deniq; justi vivet in æternum, & in perpetuo erit elogio: Nomen autem peccatorum peribit, & in æterna oblivione sepelietur. Vbi modo sunt Reges & Principes terræ? *Periit memoria illorum cum sonitu; Nomina autem Iustorum vivent in æternum.*

In Colloquio. Gratulare Sanctis istam felicitatē, quia jam agonem suū consummârunt; jam redierûnt è prælio; jam è naufragio emerserunt; jam ab incendio evaserunt, & in refrigerium deducti sunt. Roga illos, ut tibi in tuo agone adsint, & opitulentur.

Anima Christi. O Domina mea &c.

Ejaculatoria per diem usurpanda.

I. Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. II. Ne

II. Ne proijcias me à facie Tua, & Spiritum Sanctum Tuum ne auferas à me.

III. Iuste Iudex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis.

DOGMA MATVTINVM

Medium Crescendi in Gratia potissimùm, est accuratus SS. Eucharistiæ usus.

I, Id à nobis justissima DEI voluntas exigit, ut exemplo Christi Sanctorumq; poscente, ac nostro postulante commodo: *In vacuum Gratiam DEI non accipiamus;* sed eandem augeamus magis ac magis; novisq; in dies lucris atq; compendiis propagemus. Luctuosum enim est, jacturam immensam, nec ullis unquam lacrimis sarciendam, rei tantæ facere, quæ quotidianis alioquin, iisq; non difficillibus studiis poterat comparari. Cum enim anima nostra infinitorum propè graduum Gratiæ sit capax; & cum hæc sine mensura augeri possit; dolebimus certè, cùm ad alteram vitam intrandum erit, nostramq; incusabimus socordiam, quòd occasiones ac industrias augendi nostri thesauri neglexerimus. Mirabimur tot gradibus nos ab infinita DEI perfectione ab esse; & tot Beatos, nos præcedere; subsequi autem perpaucos. Hæc ergo crescendi in gratia DEI, eamq; augendi media tantisper videamus. Ac inprimis immensa DEI liberalitas, thesauros suos Ecclesiæ reliquit reseratos, in ferventi, & frequenti Sacramentorum usu; ut hinc unusquisq; prout velit, capiat; hasq; veluti fodinas gratiæ in promptu habeat, tantùm, quantùm liberet, accepturus.

II. Atq; ut alia omittam, dicam nunc de præstantissimo omnium Sacramento, & mysteriorum mysterio, Eucharistia; è quo, ceu vitali fonte largiùs Gratia profunditur; & de quo dici meritò potest, quod S. Basilius: *Spiritum DEI vivum & Sanctum incubare Eucharistiæ:* per quam, ut docet S. Thomas, 3. p. q. 79. a. 1, perficitur Spiritualis vita ad hoc, quod homo in se ipso perfe-

perfectus existat, per conjunctionem ad DEVM. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Ioan: 10. Quid enim magis Spiritum nostrum vegetat, fovet, ac saginat; quàm *hoc incarnatæ Deitatis vitale pulmentum*, ita S. Fulberto Carnotensi Episcopo appellante Eucharistiam. Quid illum magis impingvat, auget, ac dilatat; quàm *hoc pabulum sanctitatis*; ita eam vocante S. Laurent: Iustin. Quòdsi omnibus bonis operibus etiam remissis, & non magis intensis, quàm sit habitus virtutis, dum operatur, (docente probabiliter Theologiâ) quilibet justus acquirit statim reale augmentum Gratiæ sanctificantis, virtutumq; Theologicarum, & moralium infusarum, ac septem donorum Spiritus S. quis ambigat, optimum & divinissimum opus susceptionis Eucharistiæ, sine conscientiâ letalis culpæ factum, longè abundatiùs id præstare? Rursus, si, juxta dogma fidei, definitum à Concilio Trid: sess. 7. de sac: c. 6. Sacramenta novæ legis ritè suscepta, non tantùm significant, (ut olim veteris legis) sed verè ex opere operato, vel physice, vel saltem moraliter producunt gratiam sanctificantem, aut primam, si suscipiantur ab inquinatis peccato mortali (ut Baptismus & pœnitentia conferre solet) aut secundam seu augmentum præcedentis gratiæ; ut fit in justis ad Sacramenta ritè accedentibus; certè una Eucharistia præ omnibus maximè prodest nostro Spiritui, & gratiam ac virtutes illam comitantes, præstantissimo præ aliis modo locupletat. Placet adferre, quod in eam rem, illustris sanctimoniâ & doctrinâ Vir Cardinalis de Lugo disserit de Sacr: Euch: dis. 1. Sec: 2. n. 7. *Licèt*, inquit, *omnia Sacramenta, re ipsâ augeant gratiam; si inveniunt subjectum gratum: hic tamen effectus est proprius Eucharistiæ, per se & ex vi propriæ significationis. Nam Baptismus per se potiùs tendit ad generationem spiritualem, ut constat. Pœnitentia item ex se significat reconciliationem, & remissionem peccati. Extrema Vnctio tendit per se ad perfectam sanitatem à reliquiis peccatorum. Ordo ad rectum Ordinis usum: sicut Matrimonium, ad dandas vires, quibus ejus onera laudabiliter portentur; Confirmatio ad dardum robur & vires confitendi fidem. Quare non primariò, sed secundariò respiciunt Gratiam, in ordine ad proprios singulorum*

gulorum fines. At verò Eucharistia quæ est cibus animæ, per se & ex vi propriæ significationis ordinatur, ad augendam substantiam vitæ spiritualis; sicut cibus materialis ordinatur ad augendam vitam corporis: respicit ergo immediatè, & per se augmentum Gratiæ; quod nulli ex aliis Sacramentis convenit. Quanquam per accidens etiam primam Gratiam interdum producit Eucharistia; Si quis nimirum peccator, bonâ fide non putans se esse in mortali peccato, ad hoc Sacramentum accedat, cum eo tantùm dolore, quem vocamus Attritionem: tum enim suscepit vitam gratiæ, virtute cælestis hujus escæ, quæ quòd sit novæ legis Sacramentum, potest in aliquo casu, supplere defectum Contritionis; ut probabiliùs docent Theologi.

III. Sed ejusmodi casibus, ut potè rarioribus omissis: illud minimè dubium est, proprium Eucharistiæ effectum, seu efficaciam consistere, in conservanda, ac perpetuanda Spirituali animæ vita. Hoc enim divinum Sacramentum longè est præstantius Manna veteri, quia animam & à morbis, qui sunt peccata levia, & à senectutute hoc est torpore virtutisq; tædio; & à mortali culpa, quam S. Ioannes appellat mortem primam; & à secunda, quæ est infernus, potens est eliberare. Hoc lignum vitæ est in medio paradisi, Ecclesiæ inquam, collocatum; quod vitam dat æternam, sanat, renovat Spiritumq; confirmat. Hic ille cibus est, quem Zacharias (ut LXX. vertunt) frumentum juvenum appellat; eò quòd Spiritualem juventutem conservet, à corruptione præmuniat, puritatem ac integritatem in carne & spiritu communicet. Hæc arbor illa cælestis est, quam adferre fructus duodecim, perq; singulos menses reddere fructum suum, S. Ioannes vidit: omnes quippe habitus virtutum, earumq; actus, sunt hujus Sacramenti vitales fructus. Et quemadmodum dicebat noster P. Balthasar Alvarez: Si animarum nostrarum vita, est sufficiens sibi, & corpori cui unitur, ejusq; partibus omnibus, etiam minimo digito, ungvi, vel pilo: quantò magis vita Christi, quæ est vita DEI, sufficiet sibi & animæ, ad quam in hoc Sacramento venit. Hoc enim est, quod ipse Dominus dixit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter*

P *Patrem*

Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me. In quæ verba S. Laur: Iustin: *Exuberans*, inquit, *confertur gratia, hoc Sacramentum dignè sumentibus: ex illo enim quædam vivificantis Spiritûs, & mellifluæ suavitatis degustatur emanatio, per quam omnis vigor interioris hominis roboratur. Omnino humana deficeret virtus, & in hujus peregrinationis medio fatigata jaceret, si hoc spirituali pabulo non nutriretur.* Verùm, quantum cibus hic divinissimus, ad conservandam, fovendam, augendamq; gratiæ vitam, nec non profectum Spiritûs, ac omnium virtutum conferat; clariùs est, quàm ut dici possit, aut debeat declarari.

IV. Illud hîc potiùs quærendum ac dolendum: Qûi tandem fiat, & unde eveniat, quòd plures in Religiosis etiam domiciliis, qui creberrimè hâc escâ divinâ fruuntur, tantùm abest, ut in Gratia & virtutibus crescant; ut etiam post centenas & sexcentas communiones, post millena sacrificia, æquè ac antè, iisdem, imò grandioribus obnoxii imperfectionibus permaneant, ac veluti decrescere, & modicam virtutem, minorem reddere videantur. Esto verissimum sit illud Divi Dyonisii Areopagitæ pronuntiatum: l. 8. Eccl: Hier: c. 94. *Eucharistiam Sanctissimam, nos perficiendi vim habere maximam; ut pote, quæ nos per sinceræ ac divinæ vitæ similitudinem; Christo compaginat.* Et illud S. Virginis Magdalenæ de Pazzis: *Unam Communionem bene factam, ad animam faciendam perfectam sufficere*, clamantis: Nos reclamare cogimur fateriq; post tot annos, quibus communicavimus, & celebravimus, non meliores evasisse. imò proh dolor! quandoq; deteriores, magis iracundos, minùs obedientes, minùs devotos, humiles minùs, quàm initio Religionis fuissemus, ita, ut meritò culpâ nostrâ illud Isaiæ c. 49. repetere Christus possit. *In Vacuum laboravi, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Ita Spiritualis augmenti nullus in nobis aut exiguus apparet fructus. Querela & quæstio hæc, sicut apud Magistros vitæ Spiritualis celebris est, ita facilem & obviam habet sui causam; Quam refero verbis S. Gregorii M. qui postquam dixisset, *Negligentes Sacramenti altaris Ministros, atq; audaces Dominici Corporis susceptores, in flagitiis hærentes peccatores, fructum salutis, in comestione salu-*

ne salutaris hostia non percipere; Agens deinde de viris probis, qui à peccatis gravibus mundi sunt, ait l. 2. c. 1 in 1. Reg: *Qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minimè sunt peccata quæ congerit, paulatim tamen iis anima repletur; atq; ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis.* Adstipulatur Richardus Victorinus inquiens c. 35. in c. 5. Cant: *Parvæ etiam negligentiæ obscurant an obserant animam, & impedimentum faciunt gratiæ amplioris.* Venialia, inquam, peccata, uti fervorem charitatis minuere, & affectum hominis in DEVM retardare notum est; ita eadem, uberes maximi hujus & tremendi Sacramenti fructus, impedire; apud SS. Patres & Theologos decantatum. Quorum placita ut meliùs intelligantur.

V. Sciendum præter dispositionem habitualem & necessariam; qualis est carentia peccati mortalis; & intentio suscipiendi hoc Sacramentum; tradi à Theologis, aliam dispositionem actualem, eamq; duplicem: Vna est veluti negativa, quæ est carentia omnis peccati actualis etiam venialis altera positiva, quæ est actualis attentio, & devotio per actus virtutum positivos. Sciendum insuper Duplicem gratiam dari in Sacramentis, una est habitualis, communis Sacramentis omnibus, per quam aut justificamur; aut quâ sanctitas augetur in nobis; alia dicitur Sacramentalis cuilibet Sacramento specialis; per quam diversa auxilia cuiq; Sacramento propria dantur. Hoc posito, consentiunt omnes Theologi cum S. Thoma. Per peccata venialia, quæ sunt causa, ut distractè & indevotè communicemus, totam omnino impediri Sacramentalem hujus Sacramenti Gratiam; quæ est actualis refectio dulcedinis spiritualis, quæ devotionem alit, quæ nutrit fervorem charitatis, & vitiorum inclinationem debilitat; cui refectioni annectuntur auxilia, per quæ, plura peccata declinari possunt, & plures virtutes exerceri. Satis profectò hoc esset, ut peccata, quæ nos tanto bono privant, formidemus & horreamus.

Addunt nihilominus S. Thomas in 4. d. 12. & S. Bonaventura, aliiq; non pauci. Non solùm ad Sacramentalem gratiam, sed etiam habitualem consequendam, in hoc Sacramento, necessariam esse positivam actualis devotionis, dispositionem

nem & carentiam peccati venialis; ita, ut illæ animi evagationes, illa irreverentia, & tepiditas, omnem prorsus Sacramenti Gratiam etiam habitualem impediant, ut perinde sit, ac si nullo modo reciperetur. Cui doctrinæ favet D. Augustinus super Evang: Ioan: 1. & aliqua non futilis ratio. Non videtur enim congruum, ut quis ex peccaminosa Communione gratiam habeat, ob tantam sui excellentiam, quodam jure suo exigente, ut homo se totis viribus illi applicet. Quæ quidem Doctissimorum Virorum Sententia, etsi omnino vera non sit; certè contemni non debet, & timenda est; nec pro improbabili habenda,

VI. Illud porro ad minùs existimandum: Peccata venialia sæpè impedire omnem gratiam Sacramentalem; & simul magnam gratiæ habitualis partem, quæ tribuenda foret, nisi nos illa peccata possiderent; quatenus propter illa minùs dispositi, minùs devoti, minùs attenti, & sæpe valdè distracti, ac ferè imparati, accedimus. Id quod S. Bonaventura in 4. d. 11. art: 2. clarè loquitur: *Si quis ex quodam torpore, vel ex distractione, non se debitè præparet; is aut nullam, aut modicam reportat efficaciam, & quamvis non incurrat mortalem offensionem, tamen qui tepidè & indevotè & inconsideratè accedit, judicium sibi manducat & bibit.* Vnde & Christus, de quodam damnando loquens S. Brigittæ Revel: c. 2. ait: *Quamvis me sumpsit continuè; non tamen ex hoc multùm meliorabatur; quia non se præparavit, ut debuit.* Debuit autem; & nos debemus quàm optimè ac diligentissimè, non tantùm ne frustremur, sed ut majorem gratiam consequamur. Nam dispositio est quoddam vasculum Gratiæ: unde pro majore dispositione & affectu, major quoq; reportatur gratia; cujus minima particula, plus valet, quàm omnia Regna, & universa natura. Fluit ex hoc vasculo Sangvis Christi cum gratia: nec desistet fluere, nisi cum deficiet vasculum. O utinam nunquam deficiat, ut etiam in nos continuò, copiosa Gratiæ Divinæ fluenta, ex illo deriventur. Quod ut fiat.

VII. Accedendum nobis est ad hoc cæleste Epulum, humili fide, spe firma, charitate inflammatâ. Primùm ergo humilis

milis Fides adferenda: quia, ut ait Nazianzenus, Salomonem secutus: Melior est Pauper humilis ambulans in simplicitate sua, inops sermonis & mundanæ scientiæ (qui verbis simplicibus, Christi scilicet, & S. Scripturæ innixus) in illis, tanquam in parva tenuiq; rate, salutem assequitur; quàm dives superbus & insipiens, qui disputationibus & argumentis ineptè confidens, rem omni sermone sublimiorem, differendo imminuit: ubi argumentorum vis apparens, est quædam extenuatio ac diminutio veritatis. Quid in cælum provolas, cum pedes sis, (ait ille) quid manu pelagum, cælum palmo, terramq; omnem pugillo metiris? Cave, ne propter elationem animi, pennisq; propter volatûs altitudinem liquefactis, miserè corruas. Crede, crede, ait S. Augustinus, Fidelis es; non rationalis, nam in hoc mysterio, ad *firmandum cor sincerum, sola fides sufficit*; quæ mira operatur in anima, & spei ac reverentiæ, amorisq; ardentissimi est fundamentum; atq; hominem à cogitationibus terrenis, ad cælestes Divinasq; elevat. Viva igitur fide credendo, præsentem hîc adesse Personam Filij DEI, cum suis attributis, Sanctitate Omnipotentia, Sapientia, Bonitate, &c. ac Humanitatem Christi, cum suis partibus tum essentialibus, tum integralibus, humillimo corde, dic cum Centurione: *Domine non sum dignus, quis enim tu & quis ego?*

VIII. Spes verò ubi firmiùs anchoram suam figat, quàm in hoc V. Sacramento? Tria potissimùm nobis proponuntur speranda: Remissio peccatorum, Gratia ad bonos actus necessaria; & constans in bono, usq; in finem, quæ sola coronatur, perseverantia. Quod attinet ad primum; etsi hoc Sacramentum non sit mortuorum, sed vivorum; quis tamen sibi non persvadeat, Christum, si quæ supersunt ignoratæ ac involuntariæ peccatorum tenebræ & reliquiæ, ut solem benignissimum, illas dissipare? Quis non credat, illum, dum suscipitur, (ut olim à Zachæo, ita quoq; ab anima omnibus ejus nutibus obedientissima, nec aliud, quàm ejus amorem spirante) etiam diceret *Hodie salus domui huic facta est.* Cur in hoc convivio, non audiat anima, de præteritis peccatis semel confessis & ignoratis anxia,

tis anxia, quod Magdalenæ dictum fuit: *Vade in pace?* Vide Asſverum ad Hestheris menſam, mero ſimul & amore incaleſcentem, in profuſam dimidii etiam regni largitionem, & funeſtæ contra Iudæos latæ ſententiæ irritationem, ultrò ſe dilatantem: cur etiam tu, ſimilia in hoc ſupremæ dilectionis epulo ſperandi, anſam ac illicium non habeas? Irrigari verò tunc animam copioſis cæleſtium Gratiarum quibus revireſcat, & novis virtutum actionibus floreat, imbribus; ipſe Chriſti Sangvis, quo tunc hortulus animæ imbuitur, ſufficienter perſvadet. Benedicitur Iacob à Patre ſuo Iſaac, ubi fragrantia veſtium fraternarum, nares ejus afflavit. Cur non idem tibi præſtet tunc Pater æternus, dum illi Humanitatem Filii ſui, tectam ſpeciebus Sacramentalibus, omniumq; virtutum odoribus refertam præſentas? Totus nobis Chriſtus hîc datur, cum omnibus chariſmatum, donorum, meritorumq; ſuorum theſauris, parumne hinc præſidii & adjumenti habebimus? tum ad exſolvenda peccatorum debita, tum ad nova gratiæ ſubſidia impetranda: vel contra Dæmonem, qui facile veſtibulum ejus domûs fugit, cujus poſtes, tam ſancto Agni innocui ſangvine rubeſcunt: vel contra offuſam animi cæcitatem; cum Chriſtus in Euchariſtia latens, ſit lux mundi; ad quem te mittit Regius Propheta dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini & facies veſtræ non confundentur.* Quem S. Damaſcenus appellat Carbonem ignitum, illuminantem corda, qui & melle Ionathæ, & felle Tobiæ, in eum finem plus habet virium; ut, ſicut cibus pomi veriti aperuit oculos primorum Parentum in malum; ita hic in bonum, aperire poſſit; nam eſt panis ille, in cujus fractione aperti ſunt oculi Diſcipulorum in Emmaus peregrinantium, ut cognoſcerent Dominum. Vltimum Spei objectum eſt Gloria æterna, cujus pignus in hoc Sacramento habemus, cum dicat Chriſtus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hinc Bernardus Eccleſiam, & ſimul Animam juſti compellans ait: *Gratulare Sponſa, & incomparabiliter gaude; habes præſidentem & Rectorem in præſentis exilii militia, Sponſum, pignus poſſides, arrham tenes, quibus feliciter Sponſo uniaris in patria. Hic revera quaſi dulce præludium & jucunda deſponſatio: ibi*

nuptiale convivium & beata fiet conjunctio; cum de fide ad speciem, de mensa ad mensam, de Sabbato ad Sabbatum, de calore panum ad aeterni epuli calorem transibimus; interim deliciari cum illo, & gaudere debemus in Sacramento altaris; antequam facie ad faciem eum contemplantes, intime illi uniamur.

IX. Tandem præcipua ad hoc Sacramentum dispositio consistit in ardentissimo Amore, quo totus ignitus & inflammatus, accedere debes, ad hunc Amorem Amorum; instar illius Seraphini, quem Isaias vidit ante thronum DEI, totum igne amoris ardentem, & sex alis, quibus illum ignem veluti flabellis inflammabat, præditum? Ita & tu flammam in te Amoris, his considerationibus, veluti flabellis suscita. 1. quidem: memoriâ illius amoris æterni, quo nos DEVS dilexit; ac deinde, prævidendo tot nostras culpas, in tempore creavit, & hucusq; conservat. 2. Memoria illius amoris, quo seipsum, in Sacramento Altaris, prævidendo tot suos contemptus, nobis reliquit. 3. Memoriâ illius inæstimabilis in Passione Amoris, ex quo sangvinem suum nostri causâ profudit, animamq; posuit. 4. Memoria Amoris inscrutabilis, quo nostri solicitus, singulis momentis, nobis, bonoq; nostro, continuo intendit. 5. Attende ad amorem, quo beatissimi illi Angelicarum Mentium Spiritus, jam nacti æternam, post prælium cum dracone, securitatem; & inprimis Regina eorum MARIA, flagrant erga hunc Regem, in throno suo sedentem: eodemq; tu suscipere illum exopta, & ad eum suspira. 6. Tandem assume omne desiderium, & omnem amorem, quo unquam erga DEVM flagrarunt corda Sanctorum; atq; sic in altissimo amore, quo possibile est cor humanum affici, accede ad Christum: nam (ut DEVS ait S. Mechtildi) Qui hoc fecerit, ego talem, ejus amorem suscipiam, acsi tantus esset, quantum ille esse volebat.

MEDI-

MEDITATIO II.

De Iudicio Particulari.

Prælud: I. Imaginare aliquem potentem Regem, qui à servo suo exigit rationem decem millium aureorum census annui, quorum administratio penes illum fuit ab annis 30. vel 60, & quidem ita accuratè rationem exigit, ut velit scire, in quem usum minimus etiam obolus fuerit conversus.

Præl-ud: II. Eodem pacto cum hominibus procedet Deus; à quo humillimè petes, ut ita modo rationes vitæ tuæ ineas, nequidquam in eis reprehendi possit.

PUNCTUM I. Anima tua recens egressa è corpore, ducetur in ignotam Regionem, tum ab Angelo Custode, tum à Dæmonibus tanquam justitiæ Divinæ ministris, ut sistatur Iudicio Dei particulari: quod non minùs est metuendum, quàm universale, in fine mundi futurũ. Quia *qualem hominẽ DEVS inveniet in suo novissimo die*, ait S. Augustinus *talem judicaturus est in novissimo mundi die*. Cogita quomodo tunc Dæmones animam miseram infestent, increpent, terreant, minas intentent. & quomodo illa, sentiendo conscientiæ mordentis aculeos, cogitabit, quidnam sit responsura Iudici, quid excusationis allatura: Sed nihil in vita sua reperiens; quod pænam potiùs, quàm veniam non mereatur; Tunc primùm agnoscit, quàm vana & futilia ea fuerint omnia, quæ illam ad peccandum pertrahebant; & propter quæ, tunc in horribiles angustias, ac periculum damnationis devenit. Tunc seipsam execrabiur, tum maledicet diei & loco, in quo peccavit, tunc damnabit, & horrebit omnes oblectationes; quibus Deum offendebat; sed jam serò, & post tempus; quia spatium pœnitendi & judicem placandi jam effluxit. Respiciet quidem tunc eas personas quas in vita inordinatè amabat: sed hæ non solum tunc nullum auxilium adferent, sed etiam memoria illarum, causabit ingentem timorem, metum, angustiam, & afflictionem Ergo misera anima, totam vitæ anteactæ historiam, in seipsa descriptam gerens, coram Tribunali sistetur

illius

illius tremendi Iudicis, cujus iratam faciem, vehementer metuebant Sancti Viri. Metuebat S. Iob dicens: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat, furor tuus?* Et S. David: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Disce timere nunc eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem, animam mittendi in gehennam. Si columnæ DEI, & Cedri Libani contremiscunt, quid fiet cum virgultis & sarmentis? *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Roga DEUM ut modò ita *configat timore suo carnes tuas, ut à judicio ejus timeas.*

II: Quàm severum tunc à Iudice instituetur examen de tuis dictis, factis, & cogitatis, in quò ista erunt valdè metuenda. I. Multitudo rerum de quibus reddenda erit ratio: *Cui enim multùm datum est, multùm requiretur ab eo.* Cum ergo tibi infinita propè ac innumera beneficia collata sint, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ, vide quantam patieris difficultatem in reddenda pro his omnibus ratione. 2. Iudicis omnia videntis exactissima inquisitio de rebus singulis, à maximo usq; ad minimum; ita, ut non solùm de singulis negotiis magni momenti, cujusmodi sunt: confessiones, communiones, transgressiones gravium præceptorum; sed etiam de minutissimo quadrante temporis inutiliter perditi, de verbis otiosis & cogitationibus occultissimis, rationem sit exacturus. 3. Erit rabies Dæmonum, ex una parte peccatum exaggerantium, & bona opera extenuantium, ac in malam partem interpretantium; ex altera verò parte, erit conscientia tanquam mille testes; de qua dicitur in Evangelio: *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via &c.* iste verò adversarius est conscientia propria. 4. Acerrima de rebus Iudicis existimatio & censura; Non enim *cogitationes meæ sunt sicut cogitationes vestræ, neque viæ meæ, sicut viæ vestræ,* dicit Dominus. Qui est munditiei studiosus, non potest minimas etiam in pretiosa veste tolerare sordes. CHRISTUS est ipsa puritas & munditia; non poterit igitur minimos etiam nævos in anima nostra pati. Quæ

nos pro minimis peccatis reputamus, ille pro delictis habet. Vt cum David jussit numerari populum prælio idoneum: cum Oza Sacerdos, attigit Arcam ad lapsum inclinatam. Vnde Psalmista exclamat: *Delicta quis intelligit?* 5. Quia examen hoc fiet in tanta luce, ut anima clarè perspiciat, omnia mala sua, illorumq; gravitatem, prout par est, æstimet; & quæ pro peccatis non habuit, vel non advertit, vel oblita est, omnia ei repræsentabuntur, ut ait Deus: *Scrutabor in lucernis Hierusalem; Quid fiet* cum Babylone? Heu! *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Si *justus vix salvabitur, ego peccator ubi parebo! Væ etiam laudabili Vitæ, si remotâ misericordiâ discutias eam!*

III. Post severum examen, & discussionem causarum, veniet Iudex ad pronuntiationem sententiæ, ex multis capitibus valdè formidabilem. 1. Ob rigorē Iudicis, qui nullis tunc precibus, nullis lachrymis, nullis intercessionibus, nullis muneribus & pollicitationibus, nullis excusationibus, à ferenda justa sententia deduci poterit. Iam enim tunc nullus erit locus misericordiæ; sed omnia administrabit rigor justitiæ; nulla tunc aderunt remedia ad liberandam animam à peccatis, quæ nunc adhiberi possunt: nam cessabit usus Sacramentorum cessabunt actus meritorij; quia tempus vitæ transit. 2. Erit formidabilis ob magnitudinem rerum de quibus agetur: non enim ibi de pecunijs, non de possessionibus vel agris, ad tempus tenendis, sed de summis bonis, & malis, & quidem in æternum duraturis tractabitur. 3. Ob immutabilem sententiam Iudicis, quæ nullo judicio cassari & retractari poterit; DEVS enim est Summus Iudex, à quo non datur ad forum ulterius appellatio; est omniscius & qui falli non potest, ac proinde ipsius decretum, semel prolatum utpotè æquissimum est irrevocabile. Iam cogita, quanta trepidatio invadet miseram animam, quando elevatâ manu, conversis in eam iratis oculis, terribili vultu, voce horribili, Christus Iudex pronuntiabit æternam illam & irrevocabilem sententiam: *Discede à me maledicte in ignem æternum!* Nunquam faciem meam es

visurus

viſurus, nihil unquam boni à me habiturus. DEVS bone! quæ deſperatio! qui fletus! quæ lamenta! hinc erunt? Sed fruſtra; ſuccedet irrefragabilis, ac inevitabilis executio. Atq; imprimis, miſera anima expoliabitur donis ſupernaturalibus, ſi quæ reſidua erunt; ad eum modum: quo dum Sacerdos degradatur, detrahuntur ei ſacræ veſtes ad inſignem ignominiam; tanquam indigno munere ac dignitate Sacerdotali, ut ita tradatur in manus Iudicis ſecularis, morte mulctandus. Ita illa anima ſpoliabitur habitu infuſo fidei, & ſpei; Gratiis gratis datis, virtutibus moralibus acquiſitis. Vnicus Character baptiſmalis remanebit ad majorem illuſionem & ignominiam; implebiturq; illud Ezechielis 23. *Denudabunt te veſtimentis tuis, & tollent vaſa gloriæ tuæ & dimittent te nudam, & ignominiâ plenam.* Tunc illam deſeret protectio DEI, recedet Angelus Cuſtos mærore plenus, illud Ieremiæ uſurpans; *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Cui verò? Leonibus rugientibus præparatis ad eſcam, qui ſuos ungues in eam immittent, ſubitò rapientes ad pœnam, è corpore delicato, è cubili & ſtrato molli, è corona conſanguineorum & amicorum, & in puncto deportabunt in infernum. Quid efficiet in anima infelici, tam ſubita tamq; diſpar conditio, rerumq; omnium permutatio? Quis erit dolor, quis rugitus, quis Ejulatus? Aliter hic fiet cum juſtis. Nam Deus omnia bona juſtorum, uſq; ad calicem æquæ frigidæ numerabit, & animæ repræſentabit ad ipſius conſolationem. *Opera enim illorum ſequentur illos.* Et ſententiam favorabilem, in eos proferet. *Venite Benedicti Patris mei:* Qualis executio; qualis exultatio?

Colloquium fiat per Proſam Eccleſiæ.

Rex tremendæ Majeſtatis &c.

REFLEXIO.

Supra SIMPLICITATEM & CANDOREM ANIMI.

Nil aliud, placitum quàm Numinis, Actio poscat.
Non cures, alij quas proment, ore loquelas.
Non aliud dicas, aliud sub pectore verses.
Turpia fastidi falsæ mendacia linguæ.
Qui latitas intus, cunctis te porrige talem.
Impetus ast animi pravos, infanda parantes
Comprime; refræna rapidæ molimina mentis.
Nonnisi te, solumq; velis attendere Numen.
Non malè decernas, intret nec opinio mentem
De quoquam mala; de cunctis ast optima senti.
Sermo nec ambiguus dubio procedat ab ore.
Mutua iunctorum nunquam consortia rumpe.
Adveniente alio, sermone loquaris eodem.

REFLEXIO.

Supra COMMVNIONEM SACRAM.

Nulla tibi pectus Letalis noxa fatiget;
Integra quam priùs haud Confessio sustulit: acri
Quin etiam culpas leviores tolle dolore;
Et præeat, tumidam macerans afflictio carnem.
Præcipites animi profugi compescito motus;
Atq; vagos sensus rigidis frenato lupatis:
Nonq; vaces isti tantùm de more labori;
Sed novus accendat præcordia vivida fervor,
Quem diuturna pii pariat tibi lectio libri.
Instaurare stude violatæ fœdera pacis,
Tractet opus vitæ, residens in corde quietas

Pax oleis redimita comas: credatq; Tonantem
Pane tegi jurata Fides; & viscere flagret
Multus Amor IESV: Sacræ libamina mensæ
Sancta Fames aveat: flammantia vota sub antrum
Pectoris, invitent Numen; precibusq; fatigent.
Præsentem sub corde DEVM venerare, saluta,
Submissus mirare, humiles depromito grates,
Per pignus Cœleste, pio quod pectore condis,
Mitia lassato violentis sidera votis.

DOGMA POMERIDIANVM

Quibus industriis crescendum in Gratia DEI?

I. Industria est, frequens bonorum operum etiam minutorum Exercitium. Nam ejus dignitatis gratia sanctificans apud DEVM est, ut quidquid ab ea proficiscitur operis, licet obvii & exilis; tamen augmentum ejusdem gratiæ, adeoq; æternæ gloriæ mereatur, ita ut tantò hoc sit majus futurum (cæteris paribus) quantò gratiosior fuerit author boni illius operis. Quod non solùm authoritas sacræ paginæ & SS. Patrum, sed etiam ipsa ratio svadet. Nam filio Paternis imperiis insistenti, negari non potest, & amor Paternus. & patrimonium; Non quidem titulo solius operis. quod plerumq; tenue fuerit, & nullius in speciem momenti; sed titulo filii seu jure personæ? Quam utiq; justus induit per Gratiam, tam singulari & inæstimabili cum dignitate, ut hæc operibus inclusa non possit minore stipendio exsolvi, quam augmento ejusdem Gratiæ & Gloriæ: Tantùm scilicet DEVS decoris & pretii videt in eo, quod proficiscitur à Gratia! Vnde cælestis Sponsus, non solam Sponsæ perfectissimam formam dilaudat, sed unum seorsim oculum, capillum unum, vocem, labia, progressum, ascensum, vestis fragrantiam? Vt intelligamus, ipsas quoq; cogitationes levissimas, motusq; animi etiam tenues, à gratia ortos, DEO esse acceptissimos, ac orbe toto pretiosiores. Vnde si aliquo actu, ter quotidie amorem DEI profiteris; singulis jam men-

ſibus, centum ferè tibi gradus Gratiæ paras! quòdſi menſes menſibus, & anni annis continuantur, ſi ad decennium vitam proferas, quam dives, quia mille gradibus gratiæ auctus, æquali gloria penſandis, cælum intrabis! Hos verò tres charitatis in DEVM actus, dum omittis, quàm lugendam inæſtimabilis boni jacturam ſubibis? Quid autem illi, qui cum Apoſtolo, tota die mortificantur, in quorum ore ſemper laus DEI, in corde amor, in manibus labor; quorum vita omnis; ad numerum dierum, imo & horarum ſanctis operibus plena: quanta demum quàm mirabili pompâ in poſſeſſionem Regni æterni inducuntur? Cùm ergo tantum pondus meritis addat Gratia; conſequens eſt, res etiam minutiſſimas, quæ in obſequio Divino occurrunt, non eſſe parvi pendendas; ſed rerum maximarum graviſſimarumq; loco habendas; utpote quæ nos immenſo Gratiæ & Gloriæ quæſtu cumulare poſſunt. Talis eſt exercitatio & praxis actuum cujuſcunq; virtutis, licet exiguæ: obſervatio Regularum etiam minimarum; parvæ ſenſuum mortificationes; modicæ abnegationes noſtræ voluntatis, judicii proprii; & ſimilia, per quæ viri Oeconomiæ Spiritualis periti, ingentia Gratiæ lucra comparant, dum veluti fragmenta colligunt ne pereant; micaſq; ejuſmodi ambabus manibus retinent, in pretioſiſſimas (quod olim S. Odoni contigit) margaritas, convertendas. *Quemadmodum enim opes corporis accumulantur; cum amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt: ſic ſpirituales divitiæ*; ait Divus Chryſoſtomus. Atq; hæc eſt prima per curam minimorum, majorem faciendi Gratiam induſtria; quam nobis Spiritus ore Sapientis ſuggeſſit, dicens: *Minimum pro magno placeat tibi* Eccli 29. Quemadmodum placuit egregiis quibuſq; DEI ſervis, qui quò majores eſſe contenderant, eò accuratiùs minima obſervabant. Celeberrimus Theologiæ Doctor Thomas Sanchez, in codice Rationum ſuarum ſpiritualium manuſcripto, hoc ſibi præſcripſerat: *Vita mea quotidiana atq; univerſa, ſimilis eſſe debet negotiationi Spirituali, nec non Mercatori cupido, & ad omne lucrum intento.* Et verò quàm ſtudioſè ex omnibus rebus queſtum facere curaverit, indicio eſt id ejus

propo-

propositum: *Folium*, inquit, *arboris in horto non contingam; non decutiam vel unum Persicum; filum unum absq; facultate aut tribuam aut accipiam nunquam.* Beatus Aloysius Gonzaga, tam exactus fuit in servando silentio, ut illud nunquam ruperit; tam solicitus ne quid sine Superiorum licentia faceret, ut ne folium quidem chartæ condiscipulo dare voluerit, quin priùs facultatem obtinuisset. Similia passim fecêre alii, qui sibi Divinam benevolentiam, non magnis tantùm & speciosis, sed etiam minutulis rebus conciliabant. Et dubitari non debet, quin DEVS parvis illis magna gratiæ suæ, præmiiq; cælestis reddat stipendia: *Quia in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam* Matt: 25.

II. Augendi gratiam industria, in fervore ac intensione actionis consistit. Sæpe enim DEVS non attendit Quid facias; sed quo affectu ac modo aliquid propter ipsum facis. Nam, ut ait S. Ambros: l. 1. Off: Cap: 30. *Affectus divitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.* Quocirca sæpe res quæ videntur in se parvæ, pluris ab eo fiunt, quàm res magnæ ad speciem. Quod ponderans S. Ephrem l. 3. de pænit: *Iusti*, inquit *parvis actionibus magis DEVM flectunt ac placant; præ nonnullis, qui multa faciunt. Non enim ad actionem respicit DEVS, sed ad propositum voluntatis; & non intuetur quod fit, sed quo quid studio, ac propensione peragatur. Vidua paupercula duobus obolis superavit divites, auro abundantes.* Vt enim plus viæ conficit, qui pernici equo, vel navi in rapido flumine, vel pedes quidem, sed perpetuo cursu, viribusq; faventibus, aliquò contendit; quàm qui communi passu ambulat: sic & qui cum ardore magnoq; conatu opera sua, licet minima conficit: prout de S. Patre nostro legitur; eum tantâ contentione animi, rebus etiam minimis incubuisse, ut ex ipsa fronte oculisq; ardor quidam emicaret.

III. Industria est; Vt unicuiq; actioni plurium virtutum diversarum motiva apponamus; seu ut unam actionem plurium virtutum capacem esse faciamus: ita, ut earum nomen & valorem, bonitatem, ac dignitatem mereatur. Actus namq; moralis ex

lis ex objecto bonus, si simul referatur ad fines diversos, qui distinctam habeant honestatem, novas bonitatis rationes recipiet; quia *honestas honestati non repugnat.* Et sic potest quis orare ex spe; quia nimirum in DEVM sperat: ex Charitate, ex Devotione, ex Obedientia &c. Sic etiam, cum vilia ministeria obeuntur, si fiat id studio placendi DEO, Charitas est; si personam Christi in aliis intuendi, Fides; si DEVM in Fratribus honorandi, Religio; si donum aliquod cæleste à DEO impetrandi, vel animo ad Divinas epulas, accedendi; sive in hac vita pretiosum Christi corpus prægustandi, sive in patria, ad plenam fruitionem DEI perveniendi, est spes, si mandata Divina exequendi, obedientia; si amore abjecti ministerii, humilitas; si voluntate satisfaciendi pro peccatis, pænitentia; si intentione alios reficiendi vel sublevandi; charitas & misericordia, & sic de cæteris virtutibus. Quibus in casibus enitendum est, ut actus ejusmodi procedant à motivo sive principio formali præcipuæ cujusdam virtutis; puta Amoris DEI, aut ejus, cujus studio incumbimus, aut qua maximè indigemus: eò enim majorem dignitatem & excellentiam sortientur, atq; adeò augebunt gratiam, quò fuerint à nobiliore & præstantiorè virtute imperati.

IV. Industria, præsertim pro iis, qui beneficio temporis carent. Vt sæpius ad DEVM recurrant per Orationes ejaculatorias, actusq; charitatis ex mios, quibus DEO super omnia placere desiderent. Hæc autem industria maximi momenti, & incredibilis utilitatis est, magisq; ex usu, quàm ex theoria perspicitur. Hanc Sancti sectati sunt; pluresq; reperti, qui eo modo gratiam augeri, & in immensùm, meritorum cumulum excrescere fecerunt. Tale studium fuit doctissimi è nostra Societate Francisci Suarii, qui ita mente in DEVM intentus fuisse scribitur, ut in dies singulos, præter prolixas preces, ad centenos actus amoris DEI elicuerit. Iam verò Petrus Didacus Martines præter 10. horas orationis, in dies singulos eliciebat cum summa diligentiâ ad calculum, quatuor millia actuum amoris DEI, idq; quotidie. Nunc cum ad annos 40.

super

ſuper vixiſſe ponamus; habet annus dies 365. per illos autem ſi 4. millia conduplicentur; quantam ſummam confectura ſint; legenti computandum relinquo.

V. Induſtria. Vſus mortificationis externæ, quâ in omnibus operibus poſſumus meritum augere. Audiendus de hoc Magiſter virtutum Ludovicus Bloſius, qui arbitratur: *eum qui propter DEVM ſenſualitati voluptatiq; propriæ, etiam in rebus minimis reluctatur, ac ſe mortificat, rem ipſi DEO magis gratam facere, quàm ſi multos mortuos ad vitam revocaret.* Additq;, Si duo ſimul idem pratum aut viridariũ ingrediantur, atq; hic florem, carpat; alter amore DEI manum contineat: hic (inquit Bloſius) propter DEUM dimittendo florẽ tantum præ decerpente obtinebit meritũ, quanta eſt diſtantia cæli à terra. Vir igitur Spiritualis, tanquam hoſtis ſenſualitatis ſuæ, & Vltor in ſe ipſo offenſarum DEI, tum ad ſatisfaciendum pro pænis, ſibi vivo vel mortuo debitis, tum ad gratiam augendam, curabit omnibus ſuis uſitatis operibus mortificationẽ adjungere, v. g. dum mane ſurgit meditatur, legit, cibum ſumit, ſe recreat; tunc ex intervallo, nec verò continuas, nec ſemper poſitivas, nempe doloriferas, ſed etiam privativas adhibere poterit: ex: g. mollia, delicatiora, oblectantia ſubtrahendo carni & ſenſualitati. Vt ſi cibo inſulſo & inſipido condimentum non addat; ſi ſe in pruritu non fricet, in frigore non calefaciat, in ſeſſione vel genu flexione non fulciat; non videat minùs neceſſaria, eaq; non audiat; de illis non quærat; alios non laceſſat durè non reſpondeat. Deniq; ſicut vigilat ſenſualitas noſtra, ad capiendas conſolationes, & commoditates; ita & nos, ad affligendam carnem, ut ſpiritui meritiſq; augendis ſubſerviat; & quidem æquè faciliter ac feliciter ſub ſervire poteſt: cùm non modò crates Laurentii, lapides Stephani, leones Ignatii, exquiſita martyrum tormenta vigiliæ, & inediæ Anachoretarum, ſed & exiguæ corporis afflictiones, ac moleſtiæ, pilus unus, gutta ſangvinis una, imò vel ſudoris apud DEVM in numero ac pretio ſint. Norat hoc optimè Seraphicus Franciſcus, quem cùm aſperrima hieme, germanus frater offendiſſet, & hominem ſub Iove frigido, ſeminudum frigoreq; prope enectum conſpicatus, ridiculò ab eò quæri iuſſiſ-

ſet; *Sudoris guttam ſibi venderet.* Franciſcus, qui pretium ejus probè noverat: *Dic*, inquit, *Fratri; omnes ſudoris mei guttas liberaliori Domino, & quidem carò, me vendiſſe. Scio enim, id, quod in præſenti momentaneum eſt, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operari in nobis.*

VI. Induſtria: quæ ardua ac difficillia quæq; aggrediens, actiones noſtras, ad heroicam perducit excellentiam. Certum eſt, unum actum intenſum valere pro mille remiſſis: nam plus apud DEVM meretur, plus virium Diaboli, ac ſenſualitatis, conatûs frangit, plus facilitatis & reſolutionis homini parturit. Sic ſemel S. Franciſcus oſculatus leproſum; ſemel S. Catharina Senenſis; ſemel S. Xaverius ulcus ore ſuxêre. Semel S. Thomas Aquinas lupam abegit; & conſecuti ſunt tantùm, quantùm alii multis annis non ſunt adepti; etiam ſi ſtrenuè ſatis, circa ſuam animam laborarint. Porro heroici actus ſunt, vel ex objecto, vel ex ſubjecto, vel ex ſolo conatu. Poteſt autem eſſe actus ordinarius & communis; ſed in mortificatione, vel magna diligentia eximius. V. G. ſilere, quæ avidè dicenda in mentem veniunt; vel defectum ſuum, aut cogitationem publicè fateri; ſapidum bolum gulæ negare, vel differre; facere ordinaria, cum affectu amoris DEI, obedientiæ, charitatis fraternæ, &c. Sic enim fiet, ut ordinaria non ordinariè, ſed perfectè perſolvamus. Nam etſi actus aliquis honeſtus non ſit difficilis ob habitum; ſublimis tamen & perfectus eſſe poteſt, ſi ex pura placendi DEO intentione, cum quis eliciat, ſine ullo intuitu ſui: ſola enim ſincera dilectio DEI, multùm valoris addet illi actui. Non ex difficultate namq; operandi præciſè pendet excellentia heroici actûs in virtutibus; hinc ſi difficultas fuerit ex imbecillitate ſubjecti operantis, actus non erit heroicus: quòd ſi ex parte ſenſibili hominis proveniat difficultas; & interim promptitudo voluntatis DEO ſuper omnia amato placere volentis adſit; jam talis actus, meritò heroici nomen & rem obtinebit.

VII. Vt verò te faciliùs excitare poſſis ad hujuſmodi Actus; propone tibi ſæpiùs ante oculos, tum iam citata

proximè

proximè, aliquorum Sanctorum exempla; tum alias; quas nobis S. Paginæ suggerunt, heroici erga DEVM Amoris, Ideas. Intuere Abrahamum ad unam DEI vocem nocte intempesta è lecto se proripientem, vnigenitum suum, quem tenerè diligebat Isaac, educentem domo, fasce lignorum onerantem, in fastigium montis conscendentem, Filio non detrectanti ligantem manus, gladio ferire, ni prohiberetur ab Angelo volentem, ac nitentem. Intuere Davidem pro tuendo Dei & nominis Israelitici honore, ingentibus animis descendentem in aciem atq; cum evidenti sui Capitis discrimine, singulare certamen cum armato Golia ineuntem. Intuere Moysen cum obstinato Ægypti Rege, pro atterenda populi Dei libertate strenuè decertantem. Intuere Danielem, Regi, ejusq; ministris, vino calentibus, extremam perniciem, tribus obvolutam verbis, clarè & intrepidè denuntiantem. Intuere eundem aperta fenestrâ, observantibus æmulis; contra legem Capitis ab Imperatore satam, Deo supplicantem, & ob id in lacum leonum conjectum. Intuere tres pueros, Regis chaldæi Divinitatē affectantis atrocissimis ignibus fornacē contemnentes. Intuere deniq; Mathatiam, ejusq; totius prosapiæ ingentes in bellis animos, ac erecta de prostratis hostibus trophæa: ut, quisquis exempla heroici erga DEVM Amoris, magna, pro gloria Dei patriæq; salute, aggredientis desiderat; in sacris paginis posteritati ad imitationem expressa & commendata facilè reperiat.

VIII. In novo vero Testamento, ubi Christus vexillum Magnanimitatis erexit, quid non sunt, aggressi Apostoli, qui nomen Christi portàrunt coram Regibus, Gentibus & Populis? Quid non sequaces illorum Martyres? quàm intrepidè involarunt, in gladios, rotas, fereces bestias, ignes; ita ut alacriores fuerint ad perferenda, quàm Tyranni ad infligenda sibi acerbissima tormenta? Quod multò magis stupendum in sexu fragili: in quo tenellæ Virgines ad catastas magis properabant, quàm famelicus ad epulas; atrocissimaq; supplicia perpeti, idem illis erat, atq; rosis ac lilijs coronari. Quid memorem magnanimos Apostolorum imitatores Præsules Sanctissi-

ctiſſimos? quàm acre bellum geſſit Athanaſius contra Diviniſſimæ Trinitatis impugnatores, Baſilius contra Valentem, Gregorius contra Iulianum, Ambroſius contra Arianam Iezabelem, contra ſimilem Chryſoſtomus & ſexcenti alij? quos magnanimis & fortis in Chriſtum amor, ad audendum ſupra humanam conditionem, & ad ferendum ſupra mortalem Hominis infirmitatem excitabat. Verus in Deum amor duris & aſperis alitur augeturq; mollis agendi ratio, non poteſt cum illo conſiſtere. Et hanc eſſe compendioſam ad perfectionem viam ajebat S. P. Ignatius: *Reſolvere ſe ad ardua quæque pro Chriſto agenda vel perferenda.*

MEDITATIO III.

De Iudicio vniverſali.

Prælud: I. Imaginare Theatrum ampliſſimum, in quò Actus Generalium Iudiciorum celebratur. Chriſtus judex loco ſolij ſedebit in Iride, ſtabit à latere Mater, ſed jubebitur ſedere; tum Apoſtoli ſuo loco conſidebunt; alij autem á longè venerabundi ſtabunt.

Prælud: II. Pete à DEO gratiam, ad ita vivendum, ut in illo theatro merearis habere & locum bonum, & favorabilem ſententiam.

PVNCTVM I. Narrat Evangelium quòd incurſis hominibus & occupatis in ſuis negotijs, (uti erant, cum venit diluvium in tempore Nòé) incipient alterari motus Cælorum, tanquam Horologij mundi cum ingenti & formidabili ſtrepitu, Sol & Luna obſcurabuntur; Stellæ cadent de cœlo; Elementa quæ ſunt 4. Veluti humores corporum hujus mundi, inquietabuntur. Sicut ſolent inquietari & turbari 4. humores humani Corporis, quando eſt morti propinquum. Exurgent in àére tempeſtates furioſæ cum fulgoribus, toniruis atq; fulminibus tremendis, adeoq; validis ventis, ut montes transferant. Mare terribiliter mugiet; & ſuos limites tranſgrediens, regiones vicinas ſubmerget. Terra ita vehementibus motibus concu-

concutietur, ut integræ urbes passim subruantur. Animalia pavida current ad homines pro refugio, & homines arescentes præ timere, current pro eodem ad specus animalium. Post hæc Deus mittet illum ignem, quo totus hujus mundi globus operietur, sicut fuit opertus aquâ, cum fuit mersus diluvio universali. Vnde intra breve tempus, comburentur omnia, quæ in eo tunc erunt, & in cinerem convertentur. Campi cum suis arboribus & herbis; ædificia, cum suis vtensilibus divitijs, & cum ijs omnes homines quicunq; tunc erunt. Infer 1. Cum ergo hæc omnia destruenda sint, non est nimiùm fidendum ijs, sed ei firmiter adhærendum, qui manet in æternum, ut cum illo & ego maneam in æternum. 2. Si Deus ita severè tractat, & concutit vasa magnæ domûs; quid fiet cum Patrefamilias? Si in Creaturas rationis expertes ita rigide animadvertit; quid fiet cum rationali creatura, cui illas subordinaverat? quibus tamen hæc abusa est, ad offensam DEI.

III. Purgato jam per ignem mundo insonabit ubiq; tuba illa terribilis: *Surgite mortui, venite ad Iudicium.* Mox cineres, cum materijs primis omnium corporum humanorum ministerio Angelico, congregabuntur ex omnibus mundi partibus in vallem Iosaphat, ubi futurum est judicium; atq; ibi virtute Divina iterum formabuntur eadem corpora singulorum Individuorum hominum, qui ante fuerunt. Tum pariter adducentur animæ, ubicunq; hactenus fuerint, sive ex Cœlo, sive ex Inferno, sive ex Purgatorio, & unaquæq; in suum corpus introducetur. Hic ponderabo, quo horrore anima damnati, suum corpus aspiciet, & quod colloquium cum illo habebit: veni, inquiet, maledicta in corpus. Et siquidem ego damnata sum, quia consensi tuis bestialibus appetitibus, justum est, ut qua proportione fuisti particeps culpæ, eadem quoq; sis particeps pœnæ. Respondere poterit corpus: Tu sis maledicta; quæ cum esses libera & Domina possesq; me cohibere freno rationis, id non præstitisti; sed meis cupiditatibus stultè obsecuta es; Eamus igitur ad patiendum, juxta merita; Nam

quò pœna tua augeatur, ego meam partem tolerabo. E contra verò anima prædestinati, O cùm quanto gaudio intrabit in suum corpus! & quàm dulciter cum illo colloquetur. Postquam verò animæ corporibus suis unientur, corpora damnatorum evadent fœdissima & nimis horribilia. Prædestinatorum verò pulcherrima & gratiosissima ac insuper ornata, 4. dotibus gloriæ, Claritate, Impassibilitate, Subtilitate, Agilitate. Vna ex his sortibus necessariò mihi est obventura. In mea potestate modo est, eligere felicem.

III. Rebus ita jam in terra dispositis, aperientur Cœli; prodibunt inprimis Angeli, sicut solent aulici ante suum Regem. Probabile autem est, illos tunc assumpturos corpora pulcherrima, ut cunctis hominibus fiant visibiles. Prodibit cum illis Crux splendidissima, tanquam vexillum & signum nostri Redemptoris. Ad cujus aspectum plangent omnes nationes. Mali quidem præ dolore & angustia, videntes se in statu ita misero; quód ab illa, in vita fugerint. Boni autem præ devotione & gaudio videntes se in statu tam glorioso; quòd illam secuti fuerint. Tunc descendet Christus IESVS, Rex Gloriæ, cum potestate magna & Majestate, malos inenarrabili timore, bonos autem optimâ fiduciâ replens. Eum verò pone, tota comitabitur cœlestis, Beatorum Spirituum curia, Reginam Cœli splendidissimam deducens. Ergo Christus accedens ad terram, in distantia conveniente ab illa ponet suum Tribunal ex nube candida factum, ut illud vidit S. Ioannes. Ad cujus latus dextrum collocabit Matrem suam Sanctissimam honoris causâ, sicut olim Salomon Bersabeam. Collocabit quoq; hinc & inde in suis subsellijs Apostolos, aliosq; Viros Apostolicos, qui relictis omnibus, secuti fuerant eum in paupertate, castitate, & obedientia, ut illum veluti assessores juvent ad judicandos alios; prout illis promisit in Evangelio. O quàm honorata tunc erit virtus & quam despecta vitia? Tunc ex imperio Christi, Angeli reliquos justos separabunt à malis, & illos quidem ponent à dextris Iudicis tanquam oves, qui etiam sua agilitate rapientur in áëra, ut ap-

propin-

propinquent Iudici Christo. Hos autem ponent à sinistris, tanquam hœdos. Expendam hic diversitatem affectuum in utrisq; in statibus tam diversis. Malorum quidem dolorem ac invidiam; bonorum verò gaudium & lætitiam.

In Colloquio: Eliciam actum vivæ fidei, me futurum in alterutra ista Classe. Inquiram ex conscientia mea, & ex Angelo Custode percuntabor quidnam spei est, ut sim ex Classe bonorum? & siquidem multa obstacula, dubium mihi facient, curabo illa amoliri, & ita nunc vivere, ut sim ex Classe justorum.

Rex tremendæ Maiestatis. &c.

DIES SEXTA

Dedicanda SS. Apostolis Petro, Paulo, Andreæ, Ioanni, Francisco Xaverio, alijsq; Apostolis tuæ Religionis Viris. In gratiarum actionem DEO pro conversione Gentium, & talentis Concionandi. In satisfactionem pro peccatis tepiditatis, & contra zelum animarum commissis. Ad impetrandas gratias religiosè conversandi, concionandi, confessiones audiendi.

MEDITATIO I.

Continuatio de Iudicio universali.

PUNCTUM I. Aperientur illi libri, quos S. Ioannes vidit in Apoc: in quibus omnia opera iudicandorum, tum bona, tum mala apparebunt. Per hos libros intelliguntur Conscientiæ Omnium, quæ tunc virtute Divina ita patefient, ut unusquisq; omnia bona opera & mala, tum sua, tum aliorum, clare perspiciat, Tunc patebunt in Malis secreta cordium, peccata abscondita, delicta gravia, præ pudore in confessione celata; patebunt sinistræ intentiones, fraudes, hypocrises; imò & bona ipsorum opera; sed ad ignominiam impiorum: quia in illis non perseveraverunt, quia illa, rebus nihili præposuerunt; quia multi ex illis fuerunt, qui alios ea docuerunt; ipsi

verò

verò ea non fecerunt. Nihil absolutè occultum erit, quod non reveletur. Ex altera verò parte, aperiet DEUS bona opera Iustorum, quæ in occulto faciebant; illas vigilias, Orationes, mortificationes, illas eleemosynas, sanctas intentiones, imò & peccata ipsa. sed sine ullo eorum pudore; quia illa lacrymis abluerunt, & pro illis per pœnitentiam satisfecerunt; quia tempestivè ad vias veritatis redierunt. Quantam confusionem & ignominiam, patientur tunc mali? quali verò honore & lætitia afficientur boni? siquidem ille solus Honor est verus, qui capitur ex virtute, & solùm illud dedecus est verum, quod reportatur ex vitio; ibi autem omnia ita sunt apparitura & æstimanda prout verè sunt.

II. Iudex igitur affabili ac benevolo vultu conversus ad suos Prædestinatos, positos in dextra, aget illis gratias pro omnibus, quæ propter ipsius honorem in hoc mundo operati & passi sunt. debitum illis præmium conferens illis dulcissimis verbis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* O quàm in beatis lætitiam pariet hæc sententia! quam gratitudinem erga suum Iudicem! quam mutuam gratulationem! quos mutuos amplexus? Quomodo invicem prædicabunt Misericordiam & Iustitiam DEI! Hæc profundâ potius consideratione sunt æstimanda, quàm verbis exprimenda. Postea verò Iudex conversus ad reprobos, eosq; arguens præsertin verò Christianos ac Religiosos, obiiciet illis, quanta pro illis egerit; ipsi verò quàm malè hæc illi rependerunt! Quomodo eos creavit ex nihilo, & ordinavit ad sublimen finem gloriæ æternæ. Quomodo ut eam ipsis lucraretur, factus est Homo, & post plurimos labores exantlatos, vitam suam pretiosissimam, cum acerbissima morte commutavit. Quot media & auxilia illis præbuit ad hoc, ut eam ipsi suis meritis sibi compararent? nimirum, Sacramenta, Doctrinam, Exhortationes, Exempla bona Illustrationes. Inspirationes; &c. Quod totum illi perdiderunt, ut suis inordinatis passionibus obedirent. plùs re ipsâ fidei Dæmoni dando, quàm DEO, Creatori, Redemptori, ac Patri amantissimo? His

exprobra-

exprobrationibus impij nimiùm confusi, afflicti, & convicti manebunt; nec quidquam poterunt ad hæc respondere.. Ergo Iudex vultu indignabundo, voceq; ita terribili, ut faciat Cælum & terram tremere proijciet ex ore illud fulmen, illam finalem & sine appellatione sententiam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis Eius,* Discedite à me, qui sum ultimus finis vester immò omne bonum vestrum, ut nunquam in æternum faciem meam videatis. Discedite à Sanctorum meorum consortio indigni amplius illorum aspectu & colloquio. Maledicti in anima & corpore, malis omnibus sustinendis in æternum destinati. Quàm dirum, quàm penetrans hoc telum erit, ab Omnipotentia Dei jaculatum in illa corda carnalia? Quomodo id sentient, quomodo sufferent? quid dicent? Certè illud Sapientiæ. *Ergo erravimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis.* Tunc jactabunt contumelias in Iudicem, se verò invicem maledictis proscindēt &c.

III. Qualis tandem erit executio istius decreti? Ita hæc breviter exprimitur à Christo: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Itaq; post prolatam à Christo sententiam, aperietur terra usq; ad abyssum Inferni, & in momento devorabit damnatos, cum dæmonum exercitu, atq; in ventrem inferni eos demittet. Si qui verò residui erunt, ad margines illius voraginis, in eos irruent dæmones, tanquam lupi famelici in perditas oves; eosq; aduncis igneis trahent & præcipitabunt in infernum, ac tandem cum illis seipsos proijcient in illam horrendam abyssum; atq; sic januæ carceris illius claudentur, & sigillatæ decreto Dei manebunt, in æternum jam nunquam amplius aperiendæ. Tunc implebitur illa Psalmo 54 maledictio. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.* Talis erit ultimata, & in æternum duratura seperatio hædorum ab ovibus, zizaniarum à tritico, palearum ab electo frumento. De hoc autem impiorum casu, & justo judicio Dei, Sancti, non solùm ullam tristitiam non capient, sed etiam exultabunt & laudabunt Dominum; ita sicut olim submerso Pharaone & ipsius exercitu, Moyses cum popu-

lo suo exultabat dicens: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini percussit inimicum.* Et illud: *Iustus es Domine, & rectum judicium Tuum.* Tum ipsi cum Christo Duce & Rege suo ascendent in cælum, cum incredibili triumpho, & cum tanto lætitiæ sensu, quem homo in hac vita mortali, nequit adhùc concipere, illudq; concinent: *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* In tua potestate modo est eligere, quam vis sortem: ita ergo vitam institue, ut tibi obveniat sors æternæ felicitatis.

Colloquium fiet illis Ecclesiæ versibus. Rex tremendæ Majestatis. &c.

Ejaculatoria per diem usurpanda.

Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Et ego quo ibo?

Recordare IESV pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die.

Quærens me sedisti lassus, Redemisti Crucem passus, tantus labor non sit cassus.

DOGMA MATVTINVM

Gratia DEI crescit per Gratiarum DEO actionem.

I. QVotidianâ docemur experientiâ, illud nobis commune, ac familiare esse, ut cùm primò beneficium accipimus, perpetuam ejus memoriam spondeamus, dicamusq; cum Davide: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo:* successu tamen temporis paulatim acceptæ gratiæ obliviscimur, vel naturæ vitio, vel voluntatis. Tiberius Cæsar, cùm illi quidam diceret: *Meministi:* antequam plura proferret: *Non memini* (inquit) *quid fuerim:* solam præsentem fortunam suam aspici narrariq; volens. Quàm multi sunt illi similes; dum præsens duntaxat beneficium attendunt, præteriti autem penitus obliviscuntur: cùm tamen eos pessimos, & ingratissimos vocemus, qui eò devenêre, ut præteritæ gratiæ sibi col-

latæ

latæ obliviscantur. Ingrato, & beneficii immemori, pœna apud Persas fuit constituta, teste Xenophonte, & Philippus Macedo hospitis ingrati frontem stigmate inuri, notariq; jussit. Et meritò; siquidem ingratum animum ipsæ quoq; oderunt belluæ. Notæ sunt Leonum in Andronicum, Gelasium, ac cæteros repensæ pro beneficio accepto vices; quarum exemplum, etiam nostrum vidit sæculum: cum Leo in America dimicans cum alia bellua, adjutus à Lusitano, eum deinceps quasi captivus & cliens patronum, defensoremq; suum est secutus: & cùm in Europam redeuntem, exclusus à Nautis, non posset comitari, solventem à portu benefactorem suum, natando tamdiu est prosecutus, donec fessus viribus, à profundis fluctibus haustus, periret.

II. Vt ergo nos, qui DEI gratiam quàm copiosissimam demereri & aucupari volumus, tam invisum, & exosum vitium devitemus: videamus, quæ sint grati animi partes, ut illas diligenter impleamus. Porro hæ, 5. mihi videntur. 1. Beneficia divina agnoscere. 2. Æstimare illa. 3. Gratias pro illis habere & agere. 4. Referre aliquam pro illis vicem. 5. Nunquam eorum oblivisci. Atq; harum exempla ex David de gratissimi animi Vate, & Rege petamus. I. Vide, quomodo ille Divina beneficia etiam ea agnoscat, quæ à paucis agnoscuntur, & cum debita gratiarum actione recoluntur; ut notat Bellarminus. Nempe Protectionem DEI ex utero Matris, cùm DEUM necdum invocare posset: *In Te*, inquit Psal: 70. *Confirmatus sum ex utero; de ventre Matris meæ Tu es Protector meus.* Quomodo verò singillatim illa exponit? dum dicit: *Benedic anima mea Dño & omnia quæ intra me sunt Nomini Sancto ejus.* En agnoscit se non tantum Animâ sed etiam omnia intra se contenta accepisse à DEO, ideoq; Nomen ejus benedicit. Tum pergit *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Omnes, inquam, etiam minimas, quas non semel tantùm tribuit, sed retribuit, & unam super aliam cumulans, exaggerat: quas duplicis generis agnoscit; nimirum liberationem à malis, tum à peccatis, tum ab illis, quæ ea consequuntur, pœnis; de-

inde omnium bonorum Congeriem. *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu, vitam tuam; qui coronat Te in misericordia, & miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum.* 2 Quanti verò illa æstimet, constat; dum solam sui memoriam apud DEVM admiratur, & summi beneficii locò reponit: *Domine quid est homo quod memor es ejus?* Imó & omnes ad id æstimandum invitat dicens: *Confitemini Domino, & memoriæ Sanctitatis ejus.* Quasi diceret. Agnoscite, æstimate, laudate memoriam Sanctam ejus, quòd rem tam vilem, abjectam, & sordidam, dignetur tam Sanctâ memoria suâ complecti, nec illam velut indignam à conspectu suo abjiciat? Quod & Daniel Propheta, dum allatum sibi ab Angelo prandium in lacu leonum accepit, est admiratus; & S. Franciscus Seraphicus maximè æstimavit. Et certè hanc DEI bonitatem, nostri memorem, mirum in modum testatam facit, vox illa *Patris*; qua Pater noster & esse, & appellari voluit. Cum in hanc lucem nascimur, non eligimus arbitrio nostro Patrem mortalem; sed eum accipimus, qui nobis fortunâ obtingit: Si unicuiq; nostrum daretur optio eligendi Patrem, puto neminem è nobis futurum, qui non eligeret Patrem omnibus naturæ, & fortunæ donis instructissimum: Vellemus illum esse prudentem, qui nos regeret; bonum, qui singulariter amaret; opulentum qui benefaceret; potentem qui protegeret, & mala averteret; clementem, qui cum delinquentibus mansvetè ageret; memoriâ optimâ, & Sapientiâ præditum, qui nostri nunquam oblivisceretur, sed cuncta nobis necessaria provideret. Hæc omnia, in Patre nostro cælesti, luculentè congesta habemus. Sapientiam ejus infinitam mundus ipse ejusq; gubernatio manifestat. Bonitas, Opulentia, Potentia, Clementia, neq; cogitatione comprehendi, multò minùs sermone explicari potest. Memoriam nostri perpetuam, quotidiana, & continua, ac insperata beneficia manifestè loquuntur deprædicantq;. 3 Quas autem gratias Domino DEO habeat, agatq; notum est. Habet; dum beneficii memoriam gratâ mente retinet, ac recolit, illudq; magni æstimat; dum verbo, vel si-

vel signo exteriore beneficium deprædicat, seq; pro illo obstrictum testatur: tum agit gratias. *Maximas Tibi ago*, inquit Tullius pro Marc: & pro Cornel, *majores etiam habeo gratias*: Et promiscuè unum alteri adjungit dicens: Maximas Tibi gratias & agere, & habere debemus. Et alibi Habere & agere eas, se dicit. Quid porro hac in parte à nobis Domino DEO sit deferendum, doceat nos idem Propheta Regius. Quoties illum dicentè audimus? *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*. Quæ verò est hæc confessio, nisi laudis, & gratiarum actionis, quam altè cordi impressit, & lingva sua deprædicat. Sanctus Thomas opusc: de Beatit: docet. Si omnes Angelici Spiritus creati, & qui creari possint, in explicanda, ac describenda DEI Bonitate, omnem suæ mentis aciem, simul conferre vellent; & oceanus illis esset pro attramento, extensio verò cæli quanta quanta est, pro pargameno: ubi illam scribendo totam implêssent; vix micam Bonitatis Divinæ describendo explicâssent. Quia verò vox est expeditior, quam scriptio; si stellæ omnes, & omnes guttæ maris verterentur in voces, obmutescerent citiùs, quàm particulam tantæ Bonitatis, pro ejus merito declararent. Et cum cogitationes sint magis expeditæ quàm voces: si omnis arenæ pulvisculus, & omnia grana sementis verterentur in corda, quæ tantæ Bonitati penitissimè cognoscendæ se impenderent; citiùs cogitando rumperentur, quàm decimam partem tantæ Bonitatis attingerent. En quantum sumus obstricti, quantas habeamus, quantasq; debeamus agere Domino DEO nostro gratias. 4. Quàm verò idem Vates Regius sit solicitus, in referenda DEO suo Gratia, vide: ipse namq; se ipsum interrogat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et cum satis nôsset, DEUM nullius egere, sed omni bonorum circumfluere copia; dixissetq;: *DEUS meus es Tu, quoniam bonorum meorum non eges*; tria se facturum pollicetur, scilicet corde, ore, & opere gratias se relaturum, aliosq; omnes ad idem se provocaturum. *Exultabit*, inquit, *cor meum in salutari tuo; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, psallam nomini Domini altissimi*. quasi diceret: Gestiet cor meum ob beneficium salutis

à Te obtentæ; illudq; ore deprædicabit; & manu, atq; opere cytharam pulsando, memorem, & gratum me testificabor. Et certè fac filium Regis tanto amore, miserum aliquem prosequi, ut in medias flammas insiliat, conando illum semi ustulatum inde eripere: imò cùm intelligit, miserum illum per sententiam Iudicis ad rogum esse damnatum, nec inde liberari posse, nisi ipse, licèt sit Regis filius, flammis illis concremetur; eam conditionem libenter acceptare, & alterius locò, incendio consumi. Quis tantam Charitatem non admiretur? Quodsi deinde ille Regis filius, virtute Divinâ revocaretur ad vitam; quantum, obsecro, miser ille, amaret filium Regis, quàm omnibus officiis, & gratiarum actione ipsum prosequeretur is, qui ejus beneficio, & crudeli morte, rogum evasit; quàm illi fideret, si in aliquo ejus operâ, subsidioq; indigeret? præsertim si amorem non mutâsse, sed potiùs auxisse, & materiam illum demonstrandi undequaq; quærere intelligeret. Hæc omnia, si propiùs, & melius aspicias, in Christo singulariter locum habere reperies, quantam ergo illi gratitudinem exhibere debes? 5. Deniq; momoriâ æternâ pollicetur: *Laudabo*, inquit, *DEUM in vita mea, psallam DEO meo quamdiu fuero. Exaltabo Te DEUS meus Rex, & benedicam nomini Tuo in seculum seculi.* Et alibi, *In æternum non obliviscar justificationes Tuas*; & *Misericordias Domini in æternum cantabo.* monetq; alibi animam suam, ut ab oblivione beneficiorum Divinorum sibi caveat: *Noli oblivisci*, inquit, *anima mea omnes retributiones ejus.* Et meritò: quia teste Tullio, *nemo gratiarum immemor, inventus est gratus.* Hinc monet nos Christus, ne Patrem vocemus nobis super terram: quia nobiliorem habemus Patrem in cælis, in æternùm, duraturum; cui proinde æterna debeatur gratitudo, & in cujus comparatione, is, qui nos in terra genuit, etsi opulentissimus, ac liberalissimus sit, nullus tamen est, nomenq; Patris non meretur. Imò à Christo mali Patres appellantur, cum dicit: *Si vos cum sitis mali* (comparatione scilicet Patris cælestis, ac æterni) *nôstis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se.* Ex quo audet dicere S.

Thomas;

Thomas; omnem bonitatem creatam, tam eorum, qui sunt in cælo, quàm qui in terra, Divinæ Bonitati comparatam, esse Malitiam, nec bonitatis nomen mereri. Finiti enim ad infinitum nulla proportio; sed est merus defectus ac recessus ab illo.

III. Tria insuper ad declarandam grati animi significationem erga Dominum DEVM, videntur mihi observanda. 1. Vt existimemus, ac meminerimus, omnia beneficia ab illo, velut ab omnium bonorum fonte in nos derivari. Dixit aliquando Tranquillinus Martyr, Agestio Præfecto, à quo invitabatur ad adorandum Solem, tanquam erga mortales beneficum: *Idem illum agere, ac si navibus frumenta adferentibus*, non autem Regibus, beneficium annonæ esset adscribendum. Sed & S. Augustinus monet, ut dum aliquid ab homine accipimus, ad Conditorem Hominis, oculos mentis elevemus. Cùm enim Homo ipse sibi salutem adferre non possit; cur dum aliquid salutare ab illo accipimus, non potiùs ad DEVM, unde rivulus iste profluxit, quàm ad hominem, qui canalis duntaxat est, oculos reflectimus? 2. Vt in rebus difficilibus, & facilibus, parvis, magnisq;, hoc unicè spectemus; ut nimirùm pro beneficiis acceptis grati simus. Atq; hoc videtur exegisse à primis Christianis, Doctor Gentium Paulus, dum in omnibus gratias eos agere voluit, & abundare in gratiarum actione. S. P. Ignatius, cum lingvam Italicam non adeo calleret, & nihilominus eum urgeret Charitas ad rudes principiis Fidei imbuendos, dicebat. *Conferam in DEI laudem hoc, quod ut illi redderem, ab eo accepi.* S. Cyprianus, ubi lecta ei fuit de capitis diminutione sententia, respondit: *DEO gratias.* Propterea hortatur S. Augustinus, ut verba illa, *DEO gratias* semper usurpemus; & S. Hieronymus ut semper dicamus: *Benedictus DEVS.* Mirum est tanti pretii & saporis fuisse breves illas gratiarum actiones, ut Augustinus dixerit, *Nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec fructuosius aliquid agi posse.* Nostris quoq; temporibus exstitit vir piissimus qui millies uno die, illa repetiit. Sed & Ecclesia Mater nostra, á Spiritu S. instructa, in Sacrificio Missæ proclamare, profiterive Sacerdotem gravissimis ver-

mis verbis voluit, invitato ad idem præstandum adstante populo; *dignum & iustum esse, nos semper, & ubiq; gratias agere Domino Deo nostro.* 3. Demum: Vt in omnibus molestijs, difficultatibus, pressurisq; nostris, recurramus ad hunc Patrem, qui *Pater totius consolationis* dici voluit; qui nos magis amat, quàm ipsi nosmet amemus, & omnimoda benefaciendi ac succurrendi potestate pollet. Imitandus hac in parte Christus D. qui cum eò miseriarum esset redactus, ut clamaret: *Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti*: Paulò post admirabili fiducia, vitam animamq; suam Paternæ curæ comittit, exclamans: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Quantùm tranquillitatis, & pacis in hac erga Patrem cælestem fiducia reperia animus, expertus est Philippus II. Hispaniarum Rex, qui tempore supremæ ægritudinis, à filia sua Elisabetha, voluit sæpiùs sibi legi, illa ex Blosij Enchiridio verba: *Fortè hoc Te angit, quod ignores, quomodo Te migrantem Deus excepturus sit, an ad æternam Paradisi requiem, an ad transitoriam Purgatorij pœnam? Non est necesse, ut aliquid horum scias: sicut Tibi placet dulcedo Misericordiæ Divinæ, peccata dimittens; ita displicere non debet pulchritudo Divinæ Iustitiæ, peccata expians. Perfecti viri, quò digniùs emendare possent quidquid in benignissimum Redemptorem tuum commisserunt, parati essent, non solùm ad Purgatorium, sed etiam ad Infernum descendere, si decor iustitiæ Divinæ id omnino exigeret: Ista certitudo Tibi sufficiat, quòd habeas Dominum piissimum, & Patrem amantissimum, qui potest, & vult salvare Te, si humiliatus confidas in eo, non in Te. Multùm illi placemus, dum eius Voluntatem ita diligimus, & Providentiæ ipsius, tam plenâ fiduciâ in spiritu humilitatis nos committimus, ut etiam nescire gaudeamus, quid ipse circa nos agat.*

IV. Dixit aliquando Deus S. Ludgurdi: *Si intelligas hæc verba, Portio tua ego sum; nihil aliud requires, & reliqua Tibi facilè auferri permittes; dummodo me retineas.* Experimur id, cùm eò pervenimus, ut veram esse S. Augustini sententiam intelligamus: *Quisquis DEUM, non seipsum amat; verè se amat: qui enim non potest vivere de se, moritur utiq; amando se: displicentes amati*

sumus à DEO, ut fieret in nobis unde illi placeremus. Vt ergo magìs placeamus opus est, ut ei nos magìs ac magis exhibeamus Gratos: ut autem tales evadamus, eo ipso plus & plus Gratiæ acquiremus. An enim speculum potest opponi sereno soli, & ab eo non illuminari? immo quò directiùs ac sæpius ei opponetur, eo plus acquiret luminis. *Accedite ad eum* (per frequentem Gratiarum actionem, laudem, memorem beneficiorum cultum) *& illuminabimini, & facies vestræ non confundentur*, sed magìs in decore & pulchritudine sua augescent. Intuitu quidem omnis actûs honesti ac virtuosi, potest augeri Gratia: sed potissimùm intuitu Gratiarum actionis; si hæc referatur ad Gloriam Dei augendam & amplificandam; prout nos docet Ecclesia, dum canit: *Gratias agimus tibi propter magnam Gloriam tuam.* Quasi dicat: Non propterea tibi agimus gratias, quia nobis dona tua magnifica cotulisti; quanquam, & inde laudandus es in æternum: sed propterea, quia optamus ex amore tui; ut per illa, Gloria tua magna, magìs ac magìs magna, imò quàm maxìma evadat. Proijciamus igitur in hanc fructiferam terram, grana donorum ab illa nobis collatorum; & terra nostra dabit nobis in tempore suo fructum centesimum, immo millesimum ampliorum donorum.

MEDITATIO II.

De Inferno.

Præl'ud: I. Imaginare vastam aliquam, quæ revera est in centro mundi, concavitatem, plenam igne sulphureo; in quo damnati ita sunt submersi, uti pisces in profundo maris.

Prælud: II. Pete à Deo vividum timorem, ne aliquando cadas in eum locum, ut, quando à peccato non te cohibet Dei amor, deterreat saltem ejus timor.

PVNCTVM I. Duplicem pœnam damnati in inferno patiuntur: Damni & sensûs Pœna damni consistit in privatione Gloriæ Cœlestis, quâ damnati carent. Atq; hæc pæ-

na est maxima Creaturæ rationali; quia eam privat imprimis in Anima possessione summi boni sibi convenientis, in quo est omne bonum; nimirum visione intuitivâ Dei ut est in se, ejusq; fruitione: in corpore verò, gloriosis illis dotibus; ut claritate, impassibilitate, immortalitate, agilitate, & subtilitate. Vnde S. Chrysostomus ait: Mille ignes simul junctos, non allaturos damnatis tantam pœnam, quantam afferet ista privatio. Ratio est. Quia omnes res, gravem patiuntur violentiam ac dolorem, quando impediuntur, vel avelluntur ab eo, ad quod dicunt naturalem propensionem, ita; ut quo hæc propensio major fuerit, eò etiam sit major violentia ac dolor; ut patet in igne & saxo, dum violenter impediuntur, ne perveniant ad sua centra. Item in Parentibus, dum suam prolem carissimam amittunt; & è converso. Item in membris ejusdem corporis; dum à se invicem avelluntur. Atqui nulla res creata tantam habet propensionem ad suum centrum vel ad aliam creaturam, quantam creatura rationalis ad Deum possidendum; Tum quia sicut creatura rationalis est nobilior & præstantior aliis creaturis ratione carentibus, ita quoq; appetitus eius ad suum summum bonum, est præstantior ac vehementior: Tum quia, nulli creaturæ ita benè & convenienter est in suo centro, vel in alia re amata; atq; creaturæ rationali est benè, in DEO possesso, prout est in se. Igitur Creatura rationalis, gravissimam patitur violentiam ac dolorem, dum in æternùm impeditur & avellitur, ab obtinendo & possidendo isto bono. Ad eandem pænam damnati spectat; quia damnati erunt exules perpetui à Patria Cælesti, extorres ab illa Regione pulcherrima & deliciosissima, à consortio & Societate Sanctorum Angelorum, hominumq; tanquam excommunicati: erunt in æternum seperati ab illis objectis gratiosissimis; quæ omnes potentias tum interiores tum exteriores, ut oculos, aures, gustum, olfactum, imaginationem, appetitum, perfectè recreare & satiare possunt. Si Esau præ dolore irrugiit ob amissum jus Primogenituræ, propter lentis edulium. Quomodo rugient damnati ob amissa tanta bona,

propter

propter momentum voluptatis, vel punctum lucri, aut honoris vetiti.

II. Altera pœna sensûs, consistit in horrendo cruciatu, quem damnati sustinebunt. 1. Ab igne sulphureo; cujus tanta erit activitas, ut sæviturus sit non solùm in corpora; intimè illa penetrando & exurendo, sed etiam in animas; horribiliter illas cruciando; virtute quadam Divina, ad hoc se elevante, & tanquam instrumentum assumente. Licet autem hic ignis idem sit: inæqualiter tamen cruciabit, pro ratione meritorum, & magis eam partem, quâ homo magis peccavit, DEO sic attemperante illius vim & operationem. Quamvis insuper hic ignis comburit, non tamen consumit; quamvis cremat, non tamen lucet, habens de igne id totum, quod afferat pœnam, & nihil quod levamen inducat. 2. A socijs & cohabitatoribus; hi autem imprimis erunt Dæmones, sævissimi hostes hominum, & carnifices cruentissimi, qui eos varijs tormentis cruciabunt, deinde erunt alij damnati, qui se vicissim varijs modis cruciabunt; tum propter mutuum odium implacabile, ut nullus alterum ferre possit; tum ob impatientiam & rabiem, ex qua mutuò se convitiabuntur & impetent; idq; eò atrocius, quo erant in vita amantiores; præsertim si in mala. Ibi enim eversis legibus rationis, nec filius erit pro Patre, nec Pater pro Filio, nec frater, pro fratre, nec amicus pro amico; sed omnes invicem insurgent contra se; cum potius ibi futura sint motiva odij, non amoris. Quia sicut carbones accensi, si cumulentur, invicem se magis accendunt: ita isti infernales titiones acerbitate malorum irritati, in semet iras exacuent, atq; convertent. Si ergo nunc tam intolerabile est, habitare simul in eadem domo, ad breve tempus cum aliquibus, cum quibus mutuum habemus odium: quàm intolerabile erit, habitare cum tam multis in eodem Inferno, per infinitam æternitatem. O locus miseriæ & tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; quis in te habitare non timeat?

III. Discurre in particulari per tormenta, quæ damnati pa-

ti patiuntur in singulis sensibus corporis, & in potentijs animæ, quæ fuerunt veluti instrumenta peccatorum suorum, nam per *quæ quis peccat, per hæc & torquetur* Sapient: 2. Atq; imprimis in *Corpore*: *Visu torquebitur* maligna luce ignis infernalis; qui ut ait S. Gregorius, esto sit ineptus ad præbendum solatium, erit tamen sufficiens ad incutiendum horrorem. Deinde terribilibus formis seu figuris Dæmonum, quas illi assument; ut Leonum, Vrsorum, Draconum, Bufonum, Serpentum, aliarumq; ignearum Bestiarum. Tandem fœdissimis spectris, non tam corporum; quàm cadaverum damnatorum. O oculi quid vestram expectat lasciviam? *Auditus* torquebitur continuò, illo infernalium malleatorum strepitu, rabiosis fletibus, planctibus, & lamentis, ejulatibus clamoribusq; damnatorum; perpetuis querelis, execrationibus, maledictionibus, quas evoment Filij in Parentes, Parentes in Filios, Discipuli in Præceptores, quòd eis indulgentiâ suâ has flammas pararint; socij in socios, quòd eos pravis colloquijs & exemplis seduxerint. Tandem torquebitur horrendis blasphemiis & maledictis, in quæ, ob nunquam finiendas pœnas, infelices animæ erumpent, tum contra DEVM, tanquam inimicum; tum contra Christum, tanquam Iudicem iniquum; tum contra Sanctos, tanquam invidos, & alteri parti nimiùm faventes. Quæ omnia fient cum tanto strepitu & horrore, ut si tale quid fieret inter nos; continuò, veluti quædam ligna arentia staremus attoniti. *Olfactus* torquebitur incredibili fœtore tanti ignis & fumi sulphurei; deinde fœtore horribili tot corporum damnatorum, qui longè gravior erit, supra omnem fœtorem canum mortuorum: præsertim quòd illa corpora ita erunt strictè conjuncta, sicut solent haleces in dolio; in loco nullam habente respirationem. *Gustus* torquebitur perpetuâ fame & siti rabiosâ; ut apparet in Divite Epulone: in quarum levamen dabitur miseris, pro cibo absynthium, pro potu fel aspidum & draconum aliiq; cibi & potus abominabiles & horribiles à dæmonibus ad illos vexandos adinventi; ut bufones, serpentes, viperæ &c. *Tactus* deniq; qui in toto cor-

to cor-

eo corpore residet, torquebitur ab illo igne sulphureo, in quo totus damnatus erit submersus. O amentiam peccatoris! si hic non non potes perferre, dum per breve tempus flamma lucernæ tangit digitum tuum; quomodo ibi suffe-res, dum te totum à capite usq; ad pedes, per totam æternitatem penetrabit & vorabit ignis inferni, in cuius comparatione, ignis noster quantumvis maximus, pictus videtur. *In anima verò Memoria* torquebitur à verme conscientiæ rabido & nunquam morituro, quem gignet & nutriet recordatio temporis præteriti malè consumpti, & tot opportunitatum ac occasionum, quas in illo habere potuerunt, ad evitanda mala infinita, quæ patiuntur & ad acquirenda bona infinita quæ amiserunt. Quomodo id habuerunt in manu ac libertate sua; quàm facilè exequi & obtinere potuerunt, & tamen suà culpa neglexerunt. quomodo iam præteriit occasio, & nunquam redibit ampliùs. Hinc ergo nascetur ille vermis, seu dolor, qui continuò corda illorum discerpet, tantà crudelitate, quantà non solùm verbis exprimi, sed etiam mente comprehendi non potest. *Intellectus* erit confusus, obcæcatus acerbitate dolorum, perturbatus, plenus erroribus ac falsis opinionibus, pœnas inflictas Iniustitiæ Dei adscribens; hebes pro cæteris, & solùm perspicax ad percipiendam magnitudinem, tum Pœnæ Inferni iam susceptæ, & nunquam finiendæ, tum Gloriæ Cœlestis iam amissæ, & nunquam recuperandæ. Et quamvis damnati non percipiant intimis sensibus magnitudinem illius Gloriæ; habebunt tamen aliquod specimen illius, ex aspectu sanctorum in die Iudicii, & apertæ Ianuæ in Regionem illam cœlestem, ad quam Sanctos subvectos cognoscent. *Voluntas* erit indurata & obstinata in malo, anxia semper pro bonis, quæ consequi non poterit, & pro malis quæ evitare non poterit; atq; ita prorumpet in iram, impatientiam, furorem, desperationem, luitur enim ibi æterna desperatione, temeraria spes peccatorum. Nemo igitur peccet, subnixus spe obtinendæ veniæ: nam talis spes innumeros detrusit in infernum, ibiq; clausos tenet, tenebitq; in

æternum

æternum. *Sensus internus seu imaginatio*, torquebitur vehementi apprehensione dolorum; quæ illos ideo graviores faciet, quia erit quoddam mare tempestuosum, desideriorum non implendorum, mœrorum, afflictionum, & angustiarum.

Colloquium fiat cum Iustitia Divina, approbando Iudicia, Decreta, & Executiones ejus. Deinde cum Misericordia DEI, laudando illam ac benedicendo, quòd Iustitiæ rigorem quem tu peccatis tuis metueras temperaverit & continuerit, ne contra te erumperet. Tandem cum Christo Domino, gratias illi agendo, quòd se morti acerbissimæ exposuerit, ut suos electos ab illa morte æterna eriperet. Roga ut tibi Passio illius proficua sit.

Miserere mei DEVS &c.

REFLEXIO
Supra
MANSVETVDINEM.

NOn tua lingva sonet strepitum, nec turgida verba
Depromat; potiùs submissa voce loquaris,
Osq; tuum, nunquam fundat redolentia Fratris
Contemptum; imperiumq;; alios nec acuta lacessant.
Dum sua proponens arbitria dicit amicus;
Non contradicas, nullasq; reponito lites.
Non ope subtractâ socium, gestuq; nocente
Affligas; verboq; gravi præcordia lædas.
Læsus es: haud ullis offensam redde querelis;
Et si retractas, mansvetis utere verbis;
Elevet inflictum mitis clementia vulnus;
Non exspectabis, donec quis postulet à te
Errati veniam; sed tu depressus Amicum
Prævenias; narrans, quòd sis occasio rixæ:
Absq; gravi socium causa objurgare caveto.
Disce omnes noxas aliorum ferre benignè,

Nec,

Nec, tua si pateant multis errata, gemiscas,
Seu naturalis, seu acquisita putetur,
A reliquis, prodat se nullo aversio signo,
Turbida de vultu, ac gestu fastidia pelle.
Sis facilis, dum te multorum sensa prehendunt:
Iudicioq; tuo non innitaris abundè.
Fac, non exponas aliorum dicta sinistrè,
Condoleas, si quem vexans fortuna lacessit.
Si labor assiduus tibi membra soluta fatigat,
Blanda serenatam iubeant tunc gaudia frontem.

REFLEXIO
Supra
PRANDIVM & CÆNAM.

DVm campana vocat, mensæ cave tardior adsis;
Iuncta simul reliquis benedictio consecret esum,
Condiat oblatas intentio recta, cruorq;,
Quinq; decussati stillant quem vulnera Christi,
Escas: ac oculos demissa modestia velet,
Non super appositum totus diffundere discum;
Sumpta sed esuriens recreant dum fercula corpus;
Sacra piam pariter refovebit lectio mentem:
Arridente gulam febrientem fallito bolo.
De male conditis vanas omitte querelas;
Oblatas aliis potiores invidus escas
Non pete; quin te non dignum; quêis pasceris, urge,
Non aliud poscas; nec plus, quàm det pia Mater
Paupertas: contende sacras persolvere grates,
Exitui faciant taciturna silentia finem.

DOGMA POMERIDIANVM.

Gratia, dum onera servitii Divini diminuit, seipsam auget.

I. QVidquid est in terra, aut cum illa symbolisat, sine sustinentia, tolerantiaq; onerum esse non potest. Sicut enim Author naturæ DEVS, totam rerum gravium molem, ita construxit, ut, posito gravitatis centro, quod unicum duntaxat onere non premitur, licet illi omnia incumbant; posito, inquam, centro gravitatis, nulla res gravis reperiatur, quæ onus aliquod non sustineat: eò, quòd omnia gravia dum naturali, & impetuoso conatu, irrequietè ad suum centrum tendunt, partes alias sese inferiores, quodammodò protrudunt. Atq; ita ne illa quidem pars terræ, quæ immediatè centrum gravitatis, circulariter ambit, est immunis à sustinentia onerum; & quidem longè plurium, quàm aliæ partes à centro remotiores: sola superficies ultima rerum gravium, immediatè subjacens àëri sese ambienti, expers est oneris per accidens: quamquam & hæc innumeris cæli & àëris injuriis exposita esse debet. Ita idem DEVS & Author Gratiæ, fabricam suam spiritualem in hominibus, & ex hominibus, qui sunt de numero rerum gravium (*corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam*) ita, inquam, in hac terra seu vita mortali disposuit, ut posito centro admirabili Misericordiæ & Charitatis suæ, quæ sola sustinet omnia & non gravatur; nullus hominum sit, qui onus aliquod non sustineat usq; adeo, ut ne ipsum quidem primum fabricæ hujus fundamentum, immediatè adjacens centro Misericordiæ DEI, Christus IESVS, immunis fuerit ab onere. Numquid enim non gravatus est supra modum, dum in eo *posita sunt iniquitates omnium nostrûm*, dum pro nobis *sedit lassus*; dum *supra dorsum ejus fabricaverunt peccatores*; ac tandem dum *inclinato capite* sub onere Redemptionis in cruce occubuit. Infallibilis igitur hæc est veritas: Neminem in hac vita, præsertim ex Electis, ex quibus, tanquam ex probatis lapidibus, structura DEI consurgit, posse esse sine onere,

II. Scribit

II. Scribit Paulus Diaconus lib. 18. de gestis Romanorum. Tyberium II. hujus nominis imperatorem postquam bona sua, ex magna parte, in pias causas erogâsset, sub tali fabrica thesaurum reperisse. Deambulanti illi, in suo palatio, incidit sub aspectum, inter pavimenti planiciem tabula marmorea, cui crucis signum erat insculptum: quam dum ob honorem dignissimæ omni veneratione Crucis elevari præcepisset, sub ea similem alteram, & sub hac tertiam, eâdem cruce insignitam reperit: quibus omnibus sublatis, thesaurum invenit maximum, ad millionem ferè coronatorum. Talis est structura Christi, Singuli ejus lapides præsertim Electi, non solùm sunt pluribus tunsionibus politi, sed etiam cruce notati ac onerati. Insigne est Christi ædificium, Ecclesia ejus militans; nunquid non abundavit ab initio sui, abundatq; etiamnum crucibus? Videre est, apud Patrem Petrum Biverum è Societate nostra, integrum Sanctorum Crucifixorum librum: in quo inter cæteros refert ac depingit, Venerabilem quendam Sacerdotem, in urbe Galliæ Houdam Diœcesis Carnotensis, ab Hæreticis Calvinistis, super ligneam Crucifixi Christi imaginem affixum, simulq; cum effigie Christi globis trajectum. Sic ille verè Christo confixus cruci, complantatus factus est similitudini mortis ejus. Est quoq; minima licet, fabrica tamen Christi, ut eam è digito DEI agnovit Vicarius ejus, Societas IESV. Numquid illi desunt cruces? Non desunt per gratiam Christi, & tamdiu florebit, quamdiu non deerunt, juxta prophetiam S. Francisci Borgiæ.

Singulas cruces, singulis hujus minimæ fabricæ lapidibus impressas referre non vacat. Vnius tamen non possum non meminisse. In anno dierum illustrium mense Iunio refert P. Nadasi de P. Bartholomeo Sanchez, qui sangvinem è pectore supra cor eliciens, Chirographum eo conscripsit, quo se DEO per S. Xaverium in salutem Iaponiæ devovit. Is ergo Pater cum voce quadam coram sui Xaverii effigie supplex oraret, totam ejus imaginem cruce ingenti toto corpore coopertam vidit. En S. Xaverius etiam post mortem testa-

tur, se fuisse lapidem fabricæ Christi, cruce ejus oneratum; sed simul honorificè insignitum.

III. Ad eum plane modum discurrendum est de interiore animæ nostræ structura; nimirum de Gratia sanctificante, per quam DEVS habitat in nobis, & nos in DEO: quòd illam oporteat sensim construi ac perfici, ex majoribus & majoribus intensionis gradibus: hi autem gradus correspondent singulis nostris actionibus meritoriis, ita ut quot hi fuerint, totidem illi in homine justo consurgant. Porro hæ actiones, si exactè & ad amussim honestatis fiant, insignitæ sunt crucibus, non carent enim molestijs ac difficultatibus suis; quæ omnino sunt tollendæ ac tolerandæ, ut sub illis immensus Gratiæ inveniatur thesaurus, & ut amplissima spiritualis ædificii moles consurgat.

IV. Et certe cuivis homini sustinendum esse alterutrum onus, aut Christi aut diaboli, docet ipsa æterna Veritas, Matt. 6. dum prolata hac universali; *Nemo potest duobus Dominis servire*, quam noviter Cornelius sic explicat: *Nemo potest servire DEO & Diti; cælo & cæno;ætheri, & æri; Numini & nummis*. prolata, inquam, hac universali, rationem allegat: *Aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Loco *sustinebit*, S. Augustinus legit, *Patietur*. Ecce ex duobus Dominis, necessariò unius onus sustinendum, & tolerandum est. Cùm igitur nonnisi sit unus, verus Dominus noster, IESVS Christus, alter autem affectans Dominium, & tyrannus Diabolus; qui noluerit sustinere onus Christi, sustinebit onus diaboli. Consentit quoad hoc Christo, licet pridem ante Christum, ignitus DEI propheta Elias, qui convocato universo Israëlis populo, dixit ad eum 3. Reg: 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est DEVS, sequimini eum: si autem Baal; sequimini eum.* Posset hîc quispiam mirari, quomodo tantus honoris Divini zelator, & Propugnator veræ fidei Elias, ausus fuerit proponere populo fidem in Baal, servitiumq; ipsius? Sed mirari desinet, si penitius mentem ejus inspexerit. Neq; enim ille sub disjunctione aut conditione suasit positivè populo servitium Baal: sed solùm indicare

voluit;

voluit; quòd qui non vult servire DEO, & sustinere legem, ejus; serviturus sit Baal Diabolo, & toleraturus durum ac herile imperium, onusq; ipsius. Quid dico onus? Non onus, sed undecim onera, quæ recenset Isaias à cap: 13. Et quæ S. Bernardus serm: de 11. oneribus explicans, sic ait: *Quid est onus, nisi pondus quoddam deprimens animam, & ad terram inclinans; faciens eam ad inferiora respicere, & negligere superiora.* Tale onus nobis aliquando provenit ex mundi delectatione; & hoc onus est Babylonis (Babylon enim significat mundum) aliquando ex immundorum spirituum immissione, & hoc onus est (nam Philistiim significant cadentes potione; illos nimirum, qui superbiâ inebriati, ceciderunt de cælo) aliquando ex naturali, & inevitabili necessitate, & hoc onus est Moab (qui idem significat quod de Patre) aliquando ex tenebris ignorantiæ, & hoc onus est Ægypti (Ægyptus enim significat tenebras) aliquando ex innata nobis infirmitate, & hoc onus est Damasci (Damascus enim significat fundentem sangvinem; nempe innatam corruptionem, seu ut Apostolus vocat legem peccati) aliquando ex malorum persecutione; & hoc onus est deserti maris; nempe desertorum seu reproborum: aliquando ex occulta animi vexatione; & hoc onus est Dumæ (Duma enim significat silentium) aliquando ex timore mortis, & hoc onus est Arabiæ (Arabia enim significat vesperam) aliquando ex vanitate, & hoc onus est vallis visionis: aliquando ex angustia, & hoc onus est Tyri (Tyrus enim significat angustiam) aliquando ex tædio in charitate proximis exhibenda; & hoc onus est jumentorum Austri. Singula deinde onera hæc fusè exponit S. Bernardus, & concludit: *Qui onus Charitatis abjecerit, onus damnationis non immeritò sustinebit.* En vel onus Christi, quod est onus Charitatis, sustinendum est; vel onus damnationis, quod est onus Diaboli, tolerandum, imò, ut dixi, plura onera sustinenda.

V. Ad probandam hujus doctrinæ veritatem, unum è plurimis adduco exemplum, quod scribit Gvilielmus Sitart Carthusianus, in Ep: ad Theodoricum Priorem: Ioannes Da-

ilæus Londini Carthusianus, cùm allatos sibi quadam die cibos nec sapidos nec sufficientes putaret, ex impatientia murmurans, palam ait: *Malle se busones quàm ejus generis pisces comedere.* Res mira! illico ingens busonum copia totam illius cellam occupavit; qui busones, quòcunq; se Ioannes conferebat, post eum reptabant, aut saliebant. Si mensæ accumberet, commanducabant, in patinas, in discum, in sinum, horridi Parasiti involantes. Etiam in lecto quiescenti aderant sociati busones: si quem in focum projiceret; statim illæsus exsiliebat. Vnum forcipe prehensum igne torrere instituit; sed mox ingens fætor à cœpto illum ausu avocavit. Fuste alios elisit, sed mox alii supervenientes numerum auxerunt. Toto itaq; mense hæc plaga incella duravit; in horto verò tribus mensibus. Contigit hoc anno 1573. Noluit iste sustinere onus Christi; nempe insipidos cibos à Religiosa paupertate sibi porrectos, coactus est sustinere onus Diaboli; nempe tam molestos busones impatientiæ suæ ultores.

Cùm ergo alteratrum onus, aut Christi aut Dæmonis tolerandum sit, quis ex hac necessitate faciet virtutem? quis unum præ alio potiùs eliget? quis onus Christi præferet oneri Diaboli, quis illud nobis alleviabit? quis leve ac suare reddet? Audiamus Apostolum dicentem, 1. Corinth: c. 15. *Gratias DEO, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum IESVM Christum.* Pro quo jubentur agi gratiæ DEO; Nisi pro Gratia, non qualicunq;, sed victrice istarum difficultatum, molestiarum & crucium in quovis statu honesto, & in quavis actione ad vitam æternam conducente reperibilium.

VI. Certè onus Christi esse levius, quàm onus Diaboli, & consequenter quàm onus mundi, & carnis; seu longè plura & graviora sustinere coguntur servientes Diabolo, mundo, & carni, quàm servientes Christo Religiosi; docuit ipsemet Christus Matth. 11. cum dixit: *Iugum meum suave est & onus meum leve.* Porro levius est, ex his capitibus. 1. quia plerumq; adnexas habet cælestes consolationes, & internas animæ Suavitates; juxta illud Isaiæ 10. *Computrescet jugum à facie olei.* Quæ

verba S. Bernardus Ser: de Dedic. Eccles: accomodat rigidiori Religiosorum disciplinæ, quam dum sæculares vident, mirantur. *Iugum enim*, inquit, *vident*, *sed oleum & unctionem non vident*: *onus vident*, *sed delectationes victrices non vident*: quibus olim abundabat S. Ephrem, dum cælestibus solatiis repletus clamabat, teste Cornelio in c. 10. Isa: *Recede à me Domine paulumper, quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest.* Et S. noster Xaverius exclamans; *Satis est Domine, satis est, aut minue gaudia, aut me tolle de hac vita; nec enim mortale cor tanta gaudia capere potest.* Onus ergo Christi alleviatur gratiis internis, consolationibusq; Cælestibus, & spe bonorum æternorum: onus autem Diaboli aggravatur verme conscientiæ, afflictione mentis, & metu æternorum malorum. 2. Quia jugum & onus quod sustinent servientes Christo, est jugum & onus Christi. Iugum enim dicitur à jungendo, ita ut una, jugi & oneris partem Christus sibi, alteram servo suo imponat: quid autem grave esse potest. Si illo portando juvet is, qui portat orbem? semel dumtaxat ad portandam in montem Calvariæ Crucem Dominus noster IESVS Christus, visibiliter junxit se Socium Simoni Cyrenæo nobis quotidie, & in quavis honesta actione, ad perferendas molestias Socium se invisibiliter præbet benignissimus onerum nostrorum portator DEVS. 3. Quia juxta S. Bernardum Epist: 62 Onus veritatis seu Christi, non solùm non onerat, sed etiam portat omnem, cui portandum imponitur. Atq; hoc onus Paulum in gravi & corruptibili corpore positum ita portabat, ut eum raperet ac efferret vsq; ad tertium cælum. Portabat & S. P. Ignatium, dum illum orationi vacantem sublimem attolleret in âëra. Quod idem evenit tum multis aliis, tum Patri Francisco Suario, quem coram imagine Crucifixi orantem, splendidiores radii inde emicantes, aliquot ulnis à terra elevatum, cælo reddebant propinquiorem. De hoc insuper onere Asceticus ille Theologus pronuntiavit: *Suaviter equitat, quem Gratia DEI portat.* 4. Quia novit Christus, onus suum ita immutare, ut desinat esse onus. Sic in vita S. Mechtildis legimus, eam dum gravibus capitis doloribus torque-

torqueretur, ut nusquam posset quiescere, audisse à Christo Domino vulnus sui lateris ostendente: *Huc intra, ut pauses*: quæ statim cum gaudio intravit, & visa sibi est tot cervicalia serica habere, quot ictus dolorum tunc sensit capiti suo advenire. Idem evenit P. Bernardino Realino; cui gravissimos capitis dolores patienti, apparens Christus spineâ redimitus coronâ, & purpureâ chlamide amictus, cum ab illo levamen dolorum suorum Realinus peteret, avulsum unum è suo spineo serto aculeum, ipsius capiti infixit; quo facto dolores quidem capitis sunt aucti, sed incredibili solatio, & suavitati cuidam cælesti permisti. Vt nobis quoq; simile quid eveniat.

VII. *Aspiciamus in authorem & consummatorem Fidei Christum IESVM; qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contemptâ*, ut ait Apostolus Hebr. 12. quasi diceret: Cum Christus potuisset eligere, jucundam; & continuâ gaudiorum serie intertextam vitam; elegit nihilominus Crucem, & vitam continuis ærumnis obnoxiam; parvi ducens ignominias, quæ hujusmodi vitam & Crucem comitari solent. vel quasi diceret. Fuit quidem Christo acerbum, subire Crucem, mortem funestam oppetere, horrendam tolerare ignominiam; sed postquam sibi ante oculos posuit, quanta inde fuisset secutura DEI suaq; Gloria, ac lætitia? resolvit se ad Crucem, ad confusionem, ad ignominiam. Qui hoc generosum Christi in se odium, attente contemplati sunt, mirum in modum & ipsi ad odium sui exarserunt. Vno hîc Iacopono ero contentus. Excitarat in illo dæmon acrem carnis bubulæ appetitum; hinc aliunde precatio conquisitam in cella appendit, & horâ prandii eam intuens deosculatur, ac deinde ad triclinium se conferens, more suo pane & aquâ se refocillat; computruit interea caro suspensa, viciniamq; fætore complevit. Quod ubi superior deprehendit; tanquam rem communitati noxiam, gravi pænâ mulctat, Iacoponum in fætentissimum conijcit locum. ubi, cùm ingenti gaudio delibutus, ex ingenti patiendi pro Christo desiderio caneret, invisitur à Christo, & his suavissimis compellatur verbis: *Iacopone Clarissime. quandoquidem ob amo-*

ob amorem mei hac ignominiâ non moveris, neq́ hanc graueolentiam horres; accessi ut te solarer: pete quod vis & impetrabis. Domine, ait: *hanc à te gratiam postulo, ut me in locum isto horribiliorem fœtidioremq́ detrudas; quia hunc, parum gravem & molestum reputo.*

MEDITATIO III.

De alijs Proprietatibus Pœnarum Inferni.

Præludia, sicut ante.

PVNCTVM I. Duæ sunt præcipuæ Proprietates pænarum inferni. Æternitas & Continuitas. Æternæ sunt illæ pænæ; id est nunquam habituræ finem, sed tamdiu duraturæ, quamdiu Deus durabit. Nam ut ait S Gregorius; *in gehenna miseris mors erit sine morte, & finis sine fine; quia ibi mors semper vivit, & finis semper incipit.* O miserrimus ille status, in quo esset felicitas & præmium, quod in hac vita est maxima pæna & supplicium; nempè mori ac desinere esse. Quod damnati anxiè semper optabunt; & nunquam obtinebunt; nam quærent, semper mortem, & mors fugiet ab eis. Causæ istius æternitatis pænarum istæ sunt. 1. quia ipsi damnati sunt æterni non solùm quoad animam, sed etiam quo ad corpus. 2. Carcer ipse est æternus, quia est centrum terræ; *terra autem in æternum stat.* 3. Ignis erit inextingvibilis, & æternus: Nam *flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eum*; id est DEVS ipse ita conservabit illum ignem acsi fluvius sulphuris suppeditaret ei materiam indeficientem. 4. Carnifices sunt æterni, quia Dæmones ex natura sua incorruptibiles. 5. Decretum DEI immutabile; *in infernò nulla redemptio*; quia eò sangvis Christi non derivatur. Nam esto fuisset ad hoc sufficiens in actu 1mo; cum esset infiniti valoris; quia tamen pro alienis peccatis offerebatur, limitatus est per acceptationem DEI, & per negationem pænitentiæ requisitæ in damnatis. 6. Culpa peccati semper in damnatis habitualiter manet; hæc enim per liberam pœnitentiam, & spontaneam retractationem non est sublata; hujus

namq́;

namq; locus fuit sola vita præsens, quam illi finali impæni-tentiâ concluserunt. Manente ergò culpâ, debet manere & pæna. O æternitas! ô Immense malorum Oceane, quis te non timeat? quem consideratio tui à mala vita non retrahat? Certè is aut fidem non habet, aut si habet; cor non habet. Cogita; tot milliones annorum, quot guttæ aquæ, ab initio Mundi, hucusq; ceciderunt in terram, & usq; ad finem cadent unâ cum eis, quæ componunt omnia flumina & maria. Cogita insuper tot, quot fuerunt & erunt folia, in omnibus Mundi arboribus & floribus. Cogita insuper tot, quot essent atomi sufficientes, ad replendam totam sphæram firmamenti, usq; ad centrum globi terræ. Cogita deniq; tot numeros, quot possent scribi in charta, tam lata, atq; est lata totius Cæli sphæra. Et post tot, tantosq; numeros annorum trans-actos, tormenta damnati, modòprimùm incipient; acsi illorum esset prima dies, quia adhuc extunc futura æternitas manebit integra.

II. Continuæ quoq; erunt illæ pænæ; Quia nimirum erunt, sine ulla interruptione: & sine ullo levamine, ac diminutione. Vt patet in Divite epulone, qui esto vel unicam aquæ guttam petiisset ad refrigerandam linguam suam; tamen eam non impetravit. Sicut enim in damnatis, continuò perseverat eadem culpa; siquidem ab eis non fuit liberè & spontaneè per pænitentiam deleta; ita quoq; necesse est, ut in ijsdem perseveret continuò eadem pæna; Imo ex accidenti augebitur, scilicet ex accessu plurium in dies damnatorum; eorum præsertim; quibus aliquis fuit causa, vel occasio damnationis: quia recens damnati, rabidis execrationibus & maledictis impetent authores tanti sui mali. Et quamvis futura ibi sit aliqua varietas; nam ut est apud Iobum 24 Damnati transibunt à calore ignis nimio, ad aquas nivium, & è converso: hæc tamen varietas non solùm dolorem non minuet ac leniet, sed augebit magis ac intendet; quia illa acris extremorum pugna, subjectum magis affliget. Neque verò sensus doloris ibi minuetur, habitu seu assuetudine pa-

tiendi: quia ibi habitus seu assuetudo dolorem leniens non datur: nam habitus, seu assvetudo hujusmodi, in anima quidem acquiritur solùm, successu temporis per actus patientiæ; in corpore verò per moderatas vices perpessionis, non nimium afflictivas subjecti; quis enim acquirit habitum patiendi per hoc, dum illi sensim ossa confringuntur, vel candentes laminæ, lateribus admouentur. imo potiùs per hoc, quò diutiùs trahitur, augetur ac intenditur dolor. Atqui in damnatis, non dantur actus patientiæ; imò magis semper crescit impatientia, furor, rabies; juxta illud Psal. 75. *Superbia illorum qui te oderunt ascendit semper.* Non dantur etiam moderatæ vices perpessionis; imò est in illis nimiùm excessiva afflictio, quæ suâ acerbitate superat confractionem ossium adustionemq; ignitarum laminarum. Igitur ibi non habet locum talis habitus, qui leniat dolorem. imò verò semper intenditur, augescitq; acerbitas dolorum. Intolerabilis videtur dolor, si cui vestra diu in fronte aut facie sedetis, continuo eum morsu pungat. Intolerabile tædium concipitur si quis in uno latere cogatur per unam noctem, estò in plumis mollibus jacere: quomodo erit tolerabile, dum tanta tormentorum acerbitas, continuò divexabit & cruciabit damnatos?

III. Si Rex aliquis, cum trecentis armatorum millibus, cingeret arcta obsidione Vrbem hostilem, & juberet legem hanc irrevocabiliter promulgari: Decem viros ex hac Civitate cras jubebit Rex in palum vel in rotam agi; reliquis autem parcet. Nonne grandis timor irrueret in omnes illius Vrbis incoles nonne metueret unusquisq; ne fortè sit futurus ex numero illorum decem. Nonne tempestivè amicis Regis conciliate sibi, quatenus pro eo apud Regem intervenirent? Fide Divinâ certissimum est, non decem homines sed plurimos, à Rege illo sæculorum; propter illorum scelera, & finalem impœnitentiam, damnandos ad rotam inferni; nam sapiens ait: *Stultorum*, quales procul dubio sunt damnati, *infinitum esse numerum.* Et Christus Dominus veritas

æterna clamat in Evangelio: *Quod spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Quòd *multi sunt vocati pauci verò electi.* Quòd *grex* Electorum *si pusillus, in comparatione multitudinis Reproborum.* Cum quanto igitur timore ac tremore debemus nostram salutē operari? Damnatio ad infernum tam tremenda, tam horribilis ac formidabilis res est; ut si vel unicus tantùm hominum esset in periculo damnationis; deberemus omnes continuò vivere, cum pavore & tremore tam infelicis sortis. Vivimus omnes ad vnum, inter innumera pericula æternæ damnationis, inter tot occasiones, tot peccandi illecebras. Quomodo igitur non timemus? Quomodo tremore continuo, diu noctuq; non concutimur? Quomodo nos perpetua solicitudo, de salute æterna non angit, non torquet?

Colloquium fiat cum Domino DEO, agnoscendo coram illo, quòd magnum quidem beneficium præstaret ei damnato, quem ex inferno eriperet, & ab illis pœnis liberatum, vitæ restitueret, ad agendam pænitentiam. Quid enim ille eliberatus non ageret; quid illi grave & molestum videretur? At longè majus beneficium mihi præstitit; quòd esto fuerim toties promeritus; tamen me ad infernum non detrusit. Nam illius eliberati beneficium esset, carere tantùm pœnis, quas jam re ipsa passus fuit. Ego autem & careo illis, & insuper nunquam illis subjacui, nunquam illa sum adhuc expertus. Igitur me resolvam, ad ardua quæq; agenda & toleranda; dummodò satisfaciam Iustitiæ Divinæ.

Miserere mei DEVS &c.

DIES SEPTIMA.

Dedicanda SS. Martyribus Stephano, Laurentio, Adalberto, Stanislao, tuæq; Religionis SS. Fidei Pugilibus. In gratiarum Regi Martyrum Christo actionem pro Beneficio Redemptionis. In satisfactionem pro peccatis impatientiæ, corde, ore, & opere commissis. Ad impetranda Gratiæ auxilia, Captivis, incarceratis, in fide periclitantibus.

MEDITATIO I.

De Purgatorio.

Prælud: I. Imaginare ingentem lacum, plumbo liquefacto, vel ære candente plenum, qualis solet esse materia pro campanis fundendis; & in hac ardentissima lebete, vide animas mirum in modum cruciari.

Prælud: II. Pete, gratiam à DEO, ut benè agnoscas, quisnam sit iste ignis? qui patiuntur in eo? pro quo?

PUNCTUM I. Graves admodum pœnas, animæ fidelium sustinent in Purgatorio. Nam Majores, quàm sunt omnia hujus mundi tormenta quæ fuerunt inflicta quibuscunq; Martyribus, ut S. Bartholomæo, Laurentio, Vincentio &c. aut quibuscunq; latronibus ob illorum facinora, ita docent SS. Patres, Augustinus, Gregorius, Beda. Et Ratio est. Quia eædem sunt pœnæ in Purgatorio, quæ in Inferno. Nam inprimis est ibi pœna damni: scilicet non videre faciem DEI, excludi à consortio humanitatis Christi, Beatissimæ Virginis, aliorumq; Sanctorum: quæ pœna illas animas mirum in modum cruciat; tum quia illæ animæ, jam sunt solutæ à corpore; unde puriùs intelligunt, quantum sit illud bonum, quo adhuc carent; adeoq; spes quæ differtur, magis affligit animam, tum quia charitas in illis animabus est expeditior ab omni distractione, quò ferantur in DEUM intensiùs; & sic acerbior est illis separatio à DEI facie, unde ex intimo sensu illud ingeminant:

minant: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est nimis.* Non ita ardenter famelicus falco detracto ex oculis velamine, anhelat ad prædam à longe conspectam, atq; anima detractis corporis exuviis, desiderat faciem DEI. *Quemadmodum desiderat*; inquiunt illæ, *cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, DEVs.* Deinde est ibi Pæna sensus, seu Passionis à vero igne, qualis est in *Inferno*; ideoq; longè acriori, quàm noster sit. Agit enim ille & cruciat, tanquam instrumentum Iustitiæ Divinæ, supra suam naturam elevatus ad hoc, ut etiam substantias spirituales affligat. Sicut enim artifex purgat aurum vel argentum in igne; ita DEVS animas fideles in Purgatorio. Cum hoc tantum discrimine; tum quia pæna talis in Inferno durat in æternum; jam verò in Purgatorio ad tempus à DEO prædefinitum: tum quia in Inferno damnati patiuntur pænas, cum impatientia, blasphemiis, maledictionibus; jam verò in Purgatorio patienter, conformando se voluntati ac Iustitiæ Divinæ. Quanquam, ut graves Theologi censent, fieri possit, ut aliqua anima in Purgatorio, graviores ac intensiores pænas ad tempus perferat, quàm aliqua in inferno. e g. Si quis in articulo mortis confessus fuit mille peccata mortalia, & pro illis in hac vita non satisfecit; illi condonata fuit culpa, manet tamen in eo reatus pænæ gravioris intensivè, in Purgatorio subeundæ, quàm sit illa, quàm quis ob unum mortale damnatus, patitur in inferno.

II. Sed quinam patiuntur istas pænas; & pro quo? Patiuntur illas non inimici DEI; quales sunt Damnati: sed Amici, Sponsæ, DEI Filii, ab ipso infinitè amati, & destinati ad fruendum ipso in æternum. Patiuntur autem, tum ob peccata venialia, tum ob mortalia, remissa quidem quo ad culpam, nondum tamen expiata, quo ad pænam. Si Rex esset desponsatus cum Virgine paupercula, nata educataq; in pago ignobili; interim illa ingrata, & immemor tantæ in se dignationis Regiæ, multa committeret talia, sciente & aspiciente Rege, ob quæ ille indignatus, dum jam paratus esset triumphus, cum quo illa paupercula in aulam Regiam ad fruendum felici sor-

te, ingressura erat; ipso die ingressui destinato, juberet eam in carcerem detrudi, & ibi tormentis acerbissimis per longum tempus torqueri. Quid censeremus de hujusmodi Virginis dementia, ingratitudine ac delictis, in suum Regem, Dominum, & Sponsum commissis? Utiq; quòd gravissima fuerint. Umbra hæc est, respectu animæ in gratia DEI ex hac vita decedentis: quæ cum fuisset statim in Curiam ingressura cælestem cum triumpho, ad fruendum sponso & Regno suo; interim propter veniales noxas, ac debita non persoluta, in carcere purgatorij per longum tempus detinetur, ibiq; acerbissimis tormentis cruciatur. Quanta ergo dementia nostra, quòd tam multa scienter, audacter, & intrepidè in oculis DEI committimus; per quæ nobis tantam felicitatem præpedimus, tantisq; malis nos ultro involvimus. Interim Regem illum iratum non placamus, neq; ejus Iustitiæ pro culpis commissis satisfacimus.

III. Raros admodum esse Iustos, qui sine Purgatorio rectà eant ad cælum, patet ex tot historiis. Ratio autem est: tum quia *nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cælorum*. Cum ergo Iusti rari sint, qui non sint maculati, vel ipsis culpis venialibus, vel saltem reatibus noxæ; eò quòd rari utantur, vel conentur uti Indulgentiis, sicut oportet; ideo rari quoq; rectà eunt ad cælum. Tum quia Christus in Evangelio dicit: *esse talem in altera vita carcerem, ex quo non exibit inclusus, donec ad minimum quadrantem solverit.* Ubi, per quadrantem rectè intelliguntur, particulæ temporis otiosè consumptæ. Quia ergo rarus est, qui totum omnino tempus utiliter impendat; multi autem sunt, qui magnam ejus partem in otio transigunt: ideo rarus absq; isto carcere liber abibit. Insuper expende raros esse, qui parvo tempore in purgatorio detineantur. Nam constat ex revelationibus legitimè approbatis, aliquas animas in Purgatorio detentas fuisse annis 20, alias 40. alias 50, alias pluribus; nam Ecclesia anniversarias Missas celebrat etiam pro iis, qui ante 100, vel 200. annos obierunt. Imò aliqui ibi detinebuntur, usq; ad diem Iudicij; ut docet Beda; & constat ex revelatione facta S. Ludgardi, cui Innocentius

III. Papa

III. Papa recèns defunctus apparuit, asserens; se in Purgatorio futurum ad diem Iudicii, nisi pro eo orationes ab Ecclesia fierent. Quod est valdè horribile, & vehementer formidabile. Cum ergo tu multorum sis tibi conscius peccatorum. multiq; temporis otiosè transacti; vide quomodo te in posterum geras, ut vel penitus evadas Purgatorium, vel saltem parvo tempore ibi detinearis. Vide cum quanta diligentia lucrandæ tibi sint Indulgentiæ. Cum quanto studio, juvandæ animæ Purgatorii; ut & tu ab illis post mortem juveris; & à vivis juvari merearis.

Colloquium fiat cum animabus Purgatorii, Devovendo illis tua Opera; & promittendo, quòd velis eas omni meliore modo juvare, sacrificiis, jejuniis, disciplinis, catenulis, orationibus, aliisq; mortificationibus. Quod enim mihi post mortem præstari velim, hoc illis modo, dum possum, præstabo: Nam *Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* Sperabo, ut illæ postquam ad cælum pervenient, id mihi regratificentur. Immo hoc ipsum, quod illis per modum Eleemosinæ in satisfactionem impendam, cedet mihi in meritum,

De profundis clamavi ad te Domine &c.

Ejaculatoria per Diem usurpanda

I. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit,

II. Væ etiam laudabili vitæ, si remotâ misericordia eam discutias.

III. Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad Te DEVS.

DOGMA MATVTINVM.

Gratia notabiliter augetur quotidiano Patientiæ Exercitio,

I. IN duplici statu vitam habemus agendam; præsenti & futur; præsens est laborum & patientiæ campus; futurus verò, præmiorum & stipendij beatissimus terminus; ad

quem

quem non pervenitur, nisi per illum tramitem spinis difficultatum plenum, *Homo enim nascitur ad laborem tanquam avis ad volandum, brevi, vivens tempore repletur multis miserijs*: quia nascendo, Matri quidem dolores accumulat; sibi verò amplissimum patientiæ theatrum aperit. Ipse Christus ab instanti suæ Conceptionis, omnia hominum peccata distinctè cognoscens, vitam tot doloribus exercitam est exorsus, ut si ejus dolores in singulos mortales distribuerentur, non esset qui præ magnitudine afflictionis vitā non amitteret; vt divinæ potentiæ opus miraculo plenum extiterit, quòd ipse in vivis superstes ageret. Si ergo ille, estò innocens, tantarum ærumnarum catenam secum trahit, nunquam nisi ultimo vitæ anhelitu finiendam; quid aliud nobis criminosi parentis filijs, proprijsq; sceleribus infectissimis expectandum? Missa de Requiem, demum à morte canitur, & tum in illa ex Apocal: legitur: *A modò dicit Spiritus ut requiescant à laboribus suis*: quia ante illud tempus nusquam & nullibi requies. Hinc Christus D. non vult eum inter suos discipulos numerari, qui *non ferat crucem suam quotidie* hoc est; continuò, & per decursum diei non interruptum. Hinc Virginem quandam, à Sanctissima DEI Matre, quam singulariter amabat, colebatq; monitam legimus; ut horis singulis, imò si fieri posset, singulis momentis, quæritaret materiam aliquid pro DEO patiendi, seq; ad eam pacificè excipiendam, quam DEVS immitteeret, præpararet.

II, Magna est hac in parte inter viros, virtutis studiosos, & sui amatores differentia. Hi velis remisq; (ut ajunt) vel umbram mali conantur effugere; isti ad ærumnas & patiendi occasiones ultrò sese offerunt; cumq; hæ eveniunt, Deo gratias agunt, & ambabus eas manibus amplectuntur. Quòd si contra occurrentia mala remedijs utantur; ideo hoc duntaxat faciunt, ut majoribus malis sese attemperent, Deiq; voluntati morem gerant: ipsorum tamen malorum nullum levamen quærunt aut expetunt. Videmus hoc in Simeone Stylita & in alia Virgine Sancta, D. Dominici præceptis ad virtutem edocta; qui utriq; vermes è corporis ulcerosi partibus extra-

ctos, in easdem foveas, tanquam cœlo demissas gemmas, reposuere. Dignus in hoc genere admiratione S. Monnus, cui cum Angelus familiaris dixisset: *Ipsum esse superbum, ideoq; oportere humiliari. Libenter* (inquit) *humiliationem amplector; Deumq; rogo, ut eam mihi ex bonitate sua immittat. Postula determinatè*, inquit Angelus, *& voti compos fies.* Respondit Sanctus: *DEUM rogo, ut mihi fœtentem lepram toto corpore aspergat.* Dixit & impetravit; totoq; septennio, magnos inter dolores & graveolentias eâ laboravit: quam, alter vir Sanctus à DEO missus, ut linguâ lâmberet, lambendo abegit, hominemq; integræ sanitati restituit. Dixit S. Iob, alijq; cum eo præclari sanctitate viri? *Quis mihi det, ut affligens me doloribus non parcat?* Sed illos heroicos relinquamus Athletas. Nos, quosnam decerpere patientiæ flosculos, & per eos augere gratiam, die nocteq; possimus, breviter inspiciamus. Incipiamus à decubitu somnoq; & quanta se in illo patientiæ seges offerat, dicamus.

III. Nolo hîc in exemplum afferre S. Euthymium; qui nonnisi stans, apprehenso ad tabulatum alligato fune pensili, somnum capiebat. Nolo S. Maurum, qui totam quadragesimam, aut rectus, aut sedens dormituriebat. Non S. Antonium, qui aut in nuda humo, aut in juncis cilicio coöpertis, paululum quietis delibabat. Non S. Vulstanum, cui scamnum pro lectulo, & liber pro cervicali, tempore somni serviebat. Non Paulam Romanam, quæ morbo tentata, humi cilicio substrato, somnum capiebat. Ne quidem S. Eustratium auderem ad imitandū proponere, qui 15. annis, nonnisi supinus, aut in sinistrum latus acclinis, dormiisse legitur. Quid enim nobis pumilionibus ad tantos Gigantes? Quæ circa somnum, & corporis quietem materia exercendæ patientiæ nobis suppetat; ipsa experientia facilè suggeret. Occurrit enim aliqua in cubando incommoditas, vexat capitis inquietudo & intemperies; molestant crebri animalculorum aculei: omnia hæc ferre patienter, memoriáq; simul recolere spineam, Christi coronam, aculeatos flagellorum, quibus laceratus fuit, ictus, lectum Crucis acerbissimum, & ignito ferro candentia apud in-

feros

feros cubilia atq; ab omni querimonia prohibere linguam, DEOq; velut duo minuta patientiæ, pacato offerre animo; certè hoc in schola hujus virtutis non modicam promereretur lauream, nec levia Gratiæ augmenta superaddit. Beatus Henricus Suso, ne inter cubandum abigendis istis bestiolis manus admoveret, eas ipse alligabat; imo chirotecis, quibus aciculæ insertæ erant, armabat, ut si illis uti vellet, punctionum sensu, ab abigendis illis animalculis prohiberetur. Hæc & plura isto tempore, homini patientiæ & gratiæ augendæ studioso, suggeret Dei amor, & experientia.

Tantundem materiæ tum primæ à somno vigiliæ, tum Orationis ac sacri audiendi occupatio suppeditant. Cum enim Spiritus S. moneat, *ut horâ surgendi non Te trices*; certè hæc aliquam molestiæ materiam præbet. Et cum S. Agatho orandi laborem, inter primas molestias ponat; habet patientiæ candidatus, quo se exerceat Gratiamq; augeat; dum de genibus, erecto capite, nulli fulcro innixus, non spuens, non oculos levans, immobilis, cum evagationibus mentis & ariditate depugnans, Orationis tempus, nihil de eo decurtans; constanter transigit.

IV. Varia patientiæ, & augendæ gratiæ seges, in quolibet vitæ statu, seu apertè seu occultè pullulat, ad quam virtutis studiosi sedulò animum advertunt. Summi Pontifices, Regesq; creduntur esse albæ fortunæ pulli, & maximam quæ in terris optari potest, felicitatem adepti: pleriq; tamen ex illis judicârunt se infortunatissimos, & sordes unius bubulci, suis antetulerunt sceptris. Neminem in suo statu contentum vivere, evidenter ostendit Apologus hominem de suo statu apud Iovem conqverentem? Quod cum Iupiter jussisset, forte statuum mutationem accipere, tantas in novo statu, quem cuiq; sors dederat, difficultates repererunt, ut ad antiquam fortunam statumq; redire unusquisq; petierit, & impetrâvit. Adeo verùm est, Experientiam, esse stultorum scholam, simul & Magistram; in qua ad patientiam erudimur; & si disciplinæ ejus paremus, mirum in modum augemus Gratiam.

Quicunq; ergo sapis, vive tuâ sorte contentus, & quod in illa laboriosum occurrit, in patientiæ, augendæq; gratiæ materiam converte; ac Deum Te in eo vivendi genere ideo collocasse existima, ut ex difficultatibus, quæ in illo occurrunt, ad præmia æterna consequenda gradum tibi facias. Aliquis ex Eremi incolis, dum aquam è fonte, à cellula sua non parum distante quæreret, vidit Angelum ponè sequentem, & ut ajebat vestigia numerantem, annotantemq; ut singulis merces in cœlo rependeretur. Idem ab Angelo Tuo Custode fieri existima, dum officium tuum exerces, ac Voluntati Dei, in obeundis ejus difficultatibus patienter Te submitte & conforma.

V. Aliam patientiæ quotidianæ segetem ostendit nobis illud D. Pauli monitum: *Alter alterius onera portate.* Nimirum alienæ imperfectiones, sunt, opima patientiæ materia; quas Apostolus dixit *Onera*; quia non unam tolerantiæ materiam nobis invicem præbemus, sed plurimam; ut meritò unus è prudentioribus Eremi incolis, alium humeris cadaver gestantem, ut illud terræ mandaret, conspicatus, dixerit illi: *Mortuos portas? vivos porta?* quia in hoc postremo elucet majus charitatis & patientiæ argumentum.

Accipe Alphabetum, aliquos proximi nævos complectens, quibus tolerandis exercetur *Charitas patiens & benigna*; quos titulos primo loco Charitati dedit Apostolus. Occurret tibi aliquis cum quo negotium habes, Arrogantis, vel Austeri ingenij occurret alius Ardelio, Altercator; deprehendes alium Bilinguem, Blateronem, Bardum. Erit alter Contumacis Curiosæ, aut Criticæ indolis. Alter Deses, vel Dicax, vel Duplici corde: Effrons alius; Fictus alius, Fervidus, Fallax: Garrulus alter, & Gravis oris: Hypocritam arbitraberis, quem alij deprædicant; Hebes alter; Impudens alter & Importunus, Iracundus, Ingratus, Imperiosus & Incorrigibilis: hunc Litigiosum, istum Levem experieris: alius erit Morosus, alius Murmurator, Mordax, iste Negligens, ille Nugator; iste Obtrectator, hic Obliviosus: iste erit Pravi, hic Parvi; ille Pertinacis, Pervicacis, & Procacis ingenij: iste Querulus, hic Ri-

xosus

xoſus, iſte Ridiculus; iſte Suſpicioſus, Simulator, Segnis, Stultiloquus, hic Verboſus, alter vindictæ appetens, tertius vaniloquus; Thraſones nonnullos, Tumidi & Turbulenti ingenij alios; nec non Zeli indiſcreti non paucos reperies, quos contra ſeipſos aculeum ſui Zeli vertere velles. Plures, quàm hîc recenſui, defectus in proximis experientia tibi prodet, quibus tolerandis ſi ſtudium adhibueris, gemmas colliges, coronæ felicitatis æternæ inſerendas, quibus interim Gratiæ theſaurum, in immenſum augebis.

VI. Magnâ opus eſt conſtantiâ in perferendis aliorum defectibus; hinc S. Gregorio Nazianzeno, ad littus maris deambulanti, & fluctuum reciprocantium tumultus contemplanti, iſta cogitatio animum ſubit: vitam hominum ſimilem eſſe Oceano ventis, & tempeſtatibus agitato; nobis verò rupis conſtantiam eſſe imitandam, quæ tantùm abeſt, ut fluctibus murmurantibus cedat; quin potiùs eorum illuvione mundetur: ita nobis faciendũ, dum nos verborum, morumq; alienorum adverſi fluctus impetunt; excipiendi ſunt ſine commotione, & ad animos noſtros, à vitijs mundandos, tanquam lixivium mordax adhibendi. Dicere ſolebat Pimenius Abbas: *DEUM tunc peccata noſtra tegere, cum proximi peccata ſine querela, patienti ſilentio involvimus*: Et in Evangelio nobis promittitur: *Dimittite & dimittetur vobis*. Qui aliter faciunt, & proximo multùm incommodant, & ſibi non parum nocent. Phariſæum de Magdalena in Evangelio malè ſentientem & loquentem, ſibi torſiſſe funem, quo ligandus erat, ait S. Gregorius: Quia tale de ſe judicium à Chriſto expectare debebat, quale temerè & culpabiliter de Magdalena apud ſe tulerat. Ita ſolebat ratiocinari, egregius ille B. Aloyſij imitator Ioannes Berchmans: *Quale quamq; ſeverum DEI judicium me manet*, ajebat *qui tam rigidè ſeverèq; de Fratribus meis judico.* Ideo S. Ephrem monebat Paren. 4. ne quenquam è proximis condemnemus; quia ignoramus, an per pœnitentiam, cum DEO non redierint in gratiam, ſintq; illi gratiores, quàm nos ſimus; aut futuri ſumus. Sed & S. Brigittam B. Virgo monuit, ne judicaret,

aut condemnaret quenquam; imò nec aliquem despiceret, aut se illi præferret: etsi enim aliquid mali exteriùs in illo deprehenderit; interiora tamen ejus ignorabat; & quid apud DEUM cras ille futurus esset, scire non poterat. Miras plerumq; & insperatas videmus in quibusdam morum in melius mutationes; quæ, judicia nostra debilibus fuisse nixa fundamentis, ostendunt. S. Martinus, dum Briccij patienter tolerat insolens ingenium, in Sanctos mores permutat. S. P. Ignatius dum magnos Xaverij animos mansuetudine attemperat; ad majorem sanctitatem evehit; dum Petri Ribadeneiræ adolescentis igneos naturæ impetus patienter dissimulanterq; regit, quem alij Patres dimitti volebant, insignem sui seculi virum, rerumq; gestarum gloriâ illustrem effecit.

VII. Sed aliud Patientiæ quotidianæ velut commune ærarium, quod nobis ad manum est, nunc scrutemur. Corpus scilicet hoc nostrum, quod undequaq; impetitur, & cum sit corruptibile, suas circumfert miserias. Calor nimius adurit, frigus molestum vexat, fames & sitis exagitant, lassitudo opprimit, morbi conficiunt, insecta morsicant, & quiescere non sinunt: quanta hinc patientiæ, meritorum, & gratiæ augendæ seges. Quàm benè Romanos c. 12. monet Apostolus dicens: *Obsecro itaq; vos Fratres per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Sanctam, DEO placentem, rationabile sit obsequium vestrum.* Quasi diceret, inquit S. Anselmus; Offerte DEO corpora vestra non hostiam mortuam, sed vivam hostia quippe immolatur, & viva est; quando ab hac vita homo non deficit, & tamen se à carnalibus desiderijs occidit: hostia enim occiditur ut offeratur; sed hostia vivens, est corpus pro Domino afflictum: quod & hostia dicitur & vivens, quia vivit in virtutibus, & est à vitijs occisum. In Lege veteri corpora brutorum animalium, hostia mortua, sed in Evangelio, corpora hominum, hostia viva offeruntur. Ita ajebat S. Augustinus dicens: *Me excrucio, & do de me pœnas, ut DEO victima fiam, quia victima excoriatur, priusquam efferatur.* Sed & Apostolus Cor. 10. affirmat *se castigare corpus suum*, ut ex ejus patien-

patientia, velut incude, coronam immortalitatis efformet. Cujus hac in pa te severitas, meritò nos acuere debet. *Si enim ille id agit, qui vas electionis, à DEO appellatus est: quid de nobis miseris fiet*, inquit Anselmus *qui nullam adhuc Dei vocem de electione nostra audivimus, & jam in otio, quasi de securitate torpemus?* Quis ejus vecordiam non reprehenderet, qui jumentum aut equum commodatò vel conducte acceptum, quo iter conficere aut agrum colere, aut ad portanda onera domestica uti potest, inertia & otio sineret in stabulo corrumpi. Ita nos agimus, dum corpus congruis laboribus; pro bono animæ, non exercemus. *Dum bovem aut equum mutuò accipis*, inquit S. Chrysost: *homo es, continuò & assiduè operaris in illo; dicis enim: Hodie aut cras tollendus est à me, quia non est meus? Quare non eodem modo ad utilitatem animæ tuæ corpore tuo uteris, quia post modicum tollendum est à Te?* In idem collimant duæ aliæ similitudines; prima S. Ambrosij, qui censebat, corpus esse amictum animæ, aiebatq; : sicut vestis, ut candescat, necesse est, ut à fullonibus calcetur & teratur: ita corpus nunquam multùm animæ puritati serviet, nisi tundatur, & conteratur, Altera est Cæsarii, qui ait: Nunquam Animæ bene consultum iri, nisi rubiginem, quam ex corporis contubernio, & affrictu contraxit, ipsius corporis afflictione deradat & detergat. Hinc illa sancta corporis odia in hominibus; quos supra vulgus virtus extulit, passim legimus, & admiramur: hinc Macarios, Margaritas Hungaricas, Olympios, Consalvos, Sylverias, qui se cyniphibus & culicibus cruciandos sponte offerebant laudamus. Imbiberant hi altè animo illud consilium. In tali negotio imitandam esse sponsam, quæ ex domo Patris bona caduca, quantùm potest, colligit, & ad domum sponsi secum defert: ita quantùm possumus corpori detrahere, auferre nos oportet, quod totâ deinde æternitate, in cœlestis sponsi domicilio nobis profuturum sit.

MEDI-

MEDITATIO II.

De Gloria Cælesti.

Prælud: I. Imaginare amænissimam, vastissimam, lucidissimam, omniq; varietate pulcherrimam Regionem; & in ea Palatia ex auro, crystallo, lapidibus gemmisq; pretiosis constructa; quæ inhabitant Incolæ venustissimi, sanissimi, perpetuò gaudentes, canentes, &c.

Prælud: II. Pete gratiam à DEO, ut intimè intelligas æternam illam Patriæ Cælestis Gloriam; quò magis exciteris, ad serviendum ipsi, in omni vitæ puritate.

PVNCTVM I. Ineffabili prorsus Gloriâ fruuntur Sancti in cælo? Hæc autem dividitur in Essentialem & Accidentalem. Iterum Essentialis Gloria, alia est Animæ, & alia Corporis. Essentialis Gloria Animæ consistit in perfecta Intentionali Possessione DEI, ut est in se; ita, ut anima plenè repleatur DEO, atq; ferrum candens repletur igne. Hæc *autem possessio* & repletio, *consistet imprimis in clara visione DEI*, ut est in seipso, per quam Intellectus, intuitivè videbit Essentiam DEI, & Personas, ac modum quo hæc à se procedunt; Videbit omnia Attributa, ut Sapientiam, Omnipotentiam, Bonitatem, Iustitiam, Æternitatem, Immensitatem. *Videbit, quomodo DEVS operatus est*, quæcunq; mirabiliter fecit, ut Incarnationem, Vnionem Hypostaticam, Eucharistiam, Maternitatem Virginis Beatissimæ &c. *Videbit arcana consiliorum Dei*, & rationem providentiæ suæ circa se & alios. Vnde jam cessabit ibi fides & spes; siquidem possidebitur jam res ipsa in se. *Deinde consistit in amore intenso*: propter quem voluntas ita ineffalibiliter adhærebit DEO, ut in eum transformetur, reddaturq; homo ita DEO similis, ut potiùs dicatur DEVS & non homo sicut carbo ignitus, vocatur potiùs ignis, quàm carbo. Qualis amor cogitari non potest in filio, sponso, amico intimo. Vnde redundabit in animam Beati immensum gaudium, & ineffabilis delectatio, quâ illa *inebriabitur ab ubertate Domûs Dei*, & verè *intrabit in*

gaudium

gaudium Domini sui, undiq; eo abundantius circumfluens, & fruens magis, quàm piscis aquis, dum natat in immenso mari. *Ab hoc amore* voluntas ordinabitur virtuosè ad omnem honestatem. *Hinc Orietur* Obedientia exactissima, Humilitas profundissima, Religio devotissima. Hinc *Beati erumpent* in ardentes & continuos affectus erga DEVM; ut laudis, exultationis, gratiarum actionis &c. Hinc *tanta erit conformitas* voluntatis Beatorum, cum Voluntate Divina, ut nunquam possit averti à DEO, & converti inordinatè ad creaturam, adeoq; erunt impeccabiles. Verbo. Vnde ipse est DEVS beatus, quia nimirum intuitivè videt, & amat seipsum super omnia; alia veró omnia propter se: inde quoq; Sancti, Beati erunt. Gratulare ipsis. Gaude de illorum felicitate. Imitare illos pro modulo, in oratione, contemplando DEI perfectiones, eumq; amando, colendo, reverendo &c. Iunge tuos exiles in DEVM affectus, illorum affectibus, precare illos, ut tibi saltem micas proijciant de mensa sua; ut gustes, quàm suavis est Dominus. Supplica ut te faciant suâ intercessione participem suæ felicitatis.

II. Essentialis Gloria corporis beati consistit in 4. dotibus pretiosis. 1. est Claritas: *Fulgebunt justi sicut sol in perpetuas æternitates.* Huc spectat membrorum Proportio, omnimoda integritas, figura, color, & nitor admirabilis. Perspicientur etiam internæ partes & harmonia totius corporis, tanquam crystallum. 2. Impassibilitas & Immortalitas; nemo enim ibi lædetur à fame & siti: quia beati *non esurient neq; sitient amplius* Apoc: 7. Siquidem non egebunt nutrimento; iam enim ibi non erit pugna inter contrarias qualitates; sed admirabilis quædam illarum contemperatio. Non etiam poterunt lædi ab ullo extrinseco, ut veneno, nimio æstu & frigore; à ferro, saxo, vulnere &c. Aberit inde mors, aberit morbus, infirmitas, ægritudo, debilitas: *Non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* 3. Agilitas; quia Anima ita dominabitur corpori, ut illud sine repugnantia transferat celerrimè de loco in locum, quocunq; placuerit. Nam

Sancti sicut *scintillæ in arundineto discurrent* Sap: 3. 4. Subtilitas; quia corpus illud instar Spiritus, non subjacebit ullis necessitatibus vitæ vegetativæ: erunt enim *sicut Angeli Dei*; ut ait Christus Matt: 2. Poterunt etiam penetrare quodvis solidum corpus; prout Christus penetravit lapidem sepulchri, & fores clausas ad Apostolos. O verè *non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ergo *mortificationem Domini* IESV *in corpore nostro circumferamus.* Si modo homines tantum impendunt pro comparanda eleganti forma, cultuq; & nitore corporis; pro cibis, potibus delicatis, & medicinis; pro curribus & equis, ut iter commodè agant; pro domiciliis ad habitandum aptis? o quantum impendendum est, pro istis dotibus acquirendis; & in æternum habendis, quæ longè nobiliori modo præstabunt nobis, quicquid optare possumus.

III. Accidentalis Beatorum Gloria *consistit in Possessione omnium bonorum,* quæ non sunt DEVS, ita ut nihil eis desit, quicquid homo optare possit, & quicquid eum oblectare queat. Hæc autem *Possessio est duplex, una Spiritualis ac Intentionalis* in Anima; altera sensualis in Corpore. Illa prior, ex eo habebitur; quia beatus cognoscet evidenter omnia alia, extra DEVM, objecta. *Cognoscet autem tum in ipso DEO,* tanquam in speculo voluntario, liberè communicante beatis notitiam de quibuscunq; rebus extra DEVM; sive absentibus, sive præsentibus, sive futuris, sive præteritis. Et hæc cognitio dicitur Matutina. Tum in illis ipsis, sive per species impressas intelligibiles, sive per revelationem, atq; hæc Beatorum cognitio dicitur Vespertina. *Hinc autem in Beatis nascetur ordinatus amor omnium rerum creatarum propter DEVM,* ita ut quicquid & quomodocunq; DEVS aliquid vult, amatq;, idem, & eodem modo Beati velint, ac ament. Quicquid autem non vult, & odit; id etiam ipsi nolint & oderint. Vlterius autem nascetur hinc in *Beatis magna oblectatio* & gaudium; esto longè minor, quàm ex visione & amore ipsius DEI, prout est in se. *Posterior autem possessio sensualis, consistit in perfecta omni-*

Ea omnium sensuum corporeorum oblectatione, contentatione & satietate, ita ut nihil à nobis sit cogitabile, in ordine ad delectationem exteriorem, quod ibi non detur. Itaq; visus mirè ibi delectabitur ex aspectu tot corporum glorificatorum; imprimis autem Christi D: quo seipsum solabatur S. Iob. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum.* Deinde ex aspectu Beatissimæ Virginis, & tot millium Sanctorum. Tum ex aspectu illius Urbis amœnissimæ, amplissimæ, splendidissimæ, ac ditissimæ, Cujus structura ex auro purissimo; cuius muri ex Sapphiris, Smaragdis, carbunculis, adamantibus; cuius portæ ex margaritis pretiosis; cuius plateæ argentum, & crystallum mundissimum Nunquam ibi sol occidit & nunquam oritur; sed semper amabilem suam lucem mira cum voluptate omnium ex se diffundit; proinde nulla ibi nox, tenebræ nullæ, æstus nullus, frigus nullum. O quæ ibi hortorum amœnitas, quæ pulchritudo arborum, quæ varietas florum, quæ colorum omnis generis contemperatio. Si pavimentum illius palatij, tanto splendore collucet, ut videmus, in Sole, Luna, stellis; quid erit in ipsa Regis aula! si in exilio isto, pro stabularijs & mancipiis, DEUS paravit tantam rerum visu jucundarum multitudinem ac varietatem, quantam præparavit in Patria, in domo sua Regia, pro filiis, pro amicis, pro sponsis suis? *Quàm dilecta tabernacula Tua &c.* II. auditus mirè delectabitur, ex dulci concentu Angelorum, ex psalmodia, quam DEO suo suavissimè concinent Beati; ex colloquiis eorum plenis omni gratiâ, fiduciâ, sinceritate, amicitiâ, charitate. Nulla ibi erit invidia, nulla æmulatio, nulla contentio; omnes æquè de aliena gloria, atq; de sua gaudebunt. Omnibus erit mens una, cor unum, anima una; quia DEUS illos penetrans & informans, aut in se transformans, erit unus. O si vel unus Angelorum ad nos inde volaret, & aliquid nobis, vel breviter concineret; quanta voluptate perfunderemur? Quanta ergo voluptas erit, dum tot millia Angelorum, Beatorumq; per suos choros concinnè, & harmoniâ ordinatissimâ jubilantes audiemus?

diemus; atq; ipsi viles' nostras plenas laudis & exultationis voces iungemus illis. Ergo & modò inseram me choris Angelorum, Archangelorum, Thronis, Principatibus, Cherubinis, Seraphinis. Inseram me choris Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum. Æmulabor illorum voces & affectus pro modulo. III. Odoratus delectabitur fragrantiâ corporum beatorum; quia fuerunt bonus odor Christi, per Sancta vitæ suæ exempla, & conversationem ædificativam deinde fragrantiâ aromatum, florum, arborum &c. Idem proportionatè de aliis quoq; sensibus tum externis, tum internis existimandum, ita ut quivis beatus dicere possit: *Secundùm multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ, lætificaverunt animam meam.*

Colloquium fiat cum Sanctis; quærendo ex illis quamdiu talibus fruentur deliciis? In æternùm quamdiu DEVS ipse durabit. Minueturne aliquando ista illorum gloria? Nunquam penitus, imò augebitur. An aliquando interrumpetur? erit continua, sed sine ullo fastidio, imò cum ampliori semper oblectatione. Estne periculum, vel metus illam aliquando perdendi? Abest inde periculum omne, abest omnis metus, omnis ibi securitas regnat, pax perennis, tranquilitas summa. Ergo *Lauda Ierusalem Dominum, lauda DEVM tuum Sion: Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & abundantiâ frumenti satiat te.* Lauda Sapientiam Sanctorum, qui in hac vita mortali, tot labores sustinuerunt, tot victorias de carne, mundo, Diabolo, ut potirentur illâ corona, retulerunt. Venerare illos. Precare, ut te in sui consortium aliquando admittant. Æmulare illorum charismata meliora.

Benedic Anima mea Domino &c.

REFLE-

REFLEXIO
Supra
DILIGENTIAM SPIRITUALEM.

QVò magè quotidie crescas virtutibus, Opta;
Et quod amor proprius formidat, vincere cura;
Vt sunt contemptus, & mortificatio carnis,
Firmis propositis sitiens Cor sæpius arma;
Quæq; DEI causâ sunt acta, attendere noli:
Effice, quin potiùs tua mens intendat agendis;
Temnas magnanimos, parvi faciasq; labores.
Declines hujus, quidquid te distrahit, usum;
Sed non devita, quidquid Commune laborum,
Arbitrioq; tuo, vel sensu vivere vita.
Servandis animum Captivum trade minutis.
Cum studio gustuq; frequens Oratio fiat.
Reflexam revoces ima in præcordia mentem;
Cura discutias defectus; corrige lapsus;
Externis totum te noli tradere gestis;
Vtilitas fratris, nisi plus fortassè requirat.
Vt priùs, illa vetus tibi sit Devotio cordi;
Otia devitans, habeas quid semper agatur:
Æternam fervens animarum quære salutem.

REFLEXIO
Supra
VISITATIONEM SS. SACRAMENTI.

POst mensam te siste DEO sub pane latenti:
Post corpus dapibus reparatum; Spiritus escam
Cælestem sumat; disponat lingva, quid ore
Proferat, ut socios dictis affetur amicis.

Quin non una tibi, facias ut id, hora diei
Svadet; si sensim recolatur Passio Christi.
Nunc adeas veluti sudantem sangvine in Horto;
Nunc veluti Caiphæ nocturno carcere clausum:
Ad pilam vinctum; flagrorum verbere cæsum:
Tandem spinoso redimitum tempora serto;
Nunc Crucis impositæ funesto pondere pressum;
Nunc in rupe fera fatali stipite fixum;
Nunc intra rigidi monumenti claustra sepultum.
Interdumq; vices obeant Cœlestia tecum
Agmina; quæ socians, latitans venerabere Numen,
Seu sint Angelicæ mentes; seu carne solutæ.

DOGMA POMERIDIANUM.

Absq; labore, per solos Actus voluntatis augeri potest Gratia.

I. QVantùm in bonis temporalibus avaritia detestabilis, tantùm inSpiritualibus laudabilis censetur; nec plebejæ virtutis argumentum est, meriti cupidum, & lucris cælestibus attentum esse; eoq; sibi pauperiorem videri, quò quis plùs acquisivit. Non quid actum sit, sed quid agendum; non quid acquisitum, sed quid restet acquirendum, cogitare, nihilq; parvum, sed omnia quæ in bonis cælestibus sunt, existimare maxima debemus. Quemadmodum enim oculum parvas stellas, ac veluti scintillas videntem, ratio corrigit, docetq; singulas multò majores esse, quàm sit totus terræ globus; sic opinio nostra; cùm aliquid parvum esse putamus, corrigenda; & existimandum, minutissimæ gratiæ lucrandæ occasionem, pluris, quàm Vniversi imperium æstimandam. Disceremus utinam vel ab avaris quo ad hoc solicitudinem & artes multiplices: quas enim avaritiæ mancipia non excogitant machinas, quos dolos non tentant, quos non sustinent labores, ut commententur modum, quo lucri aliquid augeant? Pudeat igitur pro magna im-

gna immensæ Gratiæ, & Gloriæ non facere portione; quæ fiunt pro obolo, aut asse misero: pudeat, tot uniones meritorum abjicere; aliàs inter stercora humanarum occupationum, exiguo labore quærendos, ac inveniendos, æternùmq; possidendos.

II. Quanquam & labore hîc ferè nullo est opus, cùm quivis præcipuum lucri instrumentum, semper in promptu habeat; solam, inquam, voluntatem, à qua una, sicut omne bonum, & malum, ita demeritum, & meritum dependet. *Apud DEUM siquidem bona voluntas pro facto est; atq, ut mala puniri, ita sola illa coronari consvevit.* Nempe *DEUS*, testante S. Cypriano L. de Oper: & Eleem: *non de patrimonio, sed de animo examinat.* Qui etiam *non divitibus, & eleemosynam erogantibus, non jejunantibus, non magnorum operum patratoribus, pacem in terras per Angelos præcentures,* (ut annotat S. Augustinus) *sed hominibus bonæ voluntatis promulgari jussit.* Quæ quidem uti in omnium potestate est, ita DEO maximè placet: *coram quo, nulli parvus est census, cui est magnus animus,* ut ait S. Leo Serm: 2. Quad: Testis est huius veritatis Abraham, qui cum unicum Filium voluntate jugulasset; mercedem operi promissam accepit. Testis David Rex; qui cùm fervens haberet desiderium ædificandi Templum Domino; licèt hoc per Salomonem extructum est, voluntatem tamen Davidis, non minori DEUS præmio, cumulavit; ut habetur 2. Reg: c. 7. Ubi Divus Hieronymus *Voluntas*, inquit, *quæritur, quæ etiamsi effectum non habuerit; tamen præmium non amittit.* Confirmat D. Gregorius Hom: 5. in Evang: *Ante oculos DEI, nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta, bonâ voluntate; nihil enim hâc ditius DEO offertur.* Et hæc est felicitas & facilitas fænoris in avaritia sancta, & spirituali. Avarus bonorum temporalium nihil relinquit, quod non cupiat; cum interim desideria ipsius majori tantùm serviant torturæ: ô quid faceret, si simul ac concupisceret, res possideret? hic verò ita res habet. Votis locupletissimus, ditissimus desideriis, solâ bonâ voluntate beatus quilibet esse potest, modò velit. Bona, inquam, licèt enim Sapiens severè eos coar-

os coarguat, qui faciendi aliquid potestatem sibi deesse, falsò imponunt: *Si*, inquit, *dixeris; vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit.* Proverb: 27. ille tamen, qui quoad possit, & sine fictione cupit facere, quod nequit, exequi, non sine laude & merito est, satisq; illi fuerit, *Voluisse.* Quàm facile lucrum est, sumptu solius voti! quàm uberes desideriorum census! quàm quæstuosæ unius *Volo* pensiones! de quo Bernardus Ep: 77. *Quid planiùs, quàm, quòd voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas?* cui consonat illud Ovidii.

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hâc ego contentos auguror esse DEOS.

Et nos igitur, votis, ac desideriis, divites esse, perq; actus voluntatis in gratia crescere, ac merita cumulare possumus. Quomodo autem? jam videndum.

III. Possumus ergo inprimis per actum Voluntatis comprobare, seu ratas habere actiones & passiones, bonaq; omnia, tam propria, quàm aliena quarumcunq; creaturarum opera, etiam Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum: nunc illa DEO offerendo, nunc iis DEUM laudando, benedicendo, adorando; nunc amando; nunc pro illis gratias agendo. Neq; dubitandum, hujusmodi actum esse DEO gratissimum. Si quis enim opus aliquod malum, vel proprium vel alienum, in contemptũ DEI approbaret; perinde faceret, ac si illud re ipsa patrâsset: sic è contra, de bono opere, vel proprio, vel alieno sentiendum. Potest quoq; libertas voluntatis humanæ hoc facere; ut, si unum actum eliciat, velit esse illum, signum mille aut plurium actuum; ita ut libenter hîc & nunc illos faceret, si locus, occasio, tempus, aliæve circumstantiæ paterentur: sed quia id prudenter non potest, substituit unum actum, e. g. Charitatis, Spei, Timoris, Zeli, Resignationis, vel quempiam alium, ita, ut velit ac intendat, unum talem actum valere pro millenis. Similiter potest unam vocem aut signum substituere pro multis actibus: sicut enim ex placito humano est, quòd genuflexio sit signum adorationis; ita placitum cujusq; potest aliquam aliam actionem, e. g. ambulationem, stationem, aut quempiam

alium-

alium motum ſubſtituere, qui eandem repræſentet adorationem: ut nimirum quoties greſſum aut paſſum fecerit, velit & optet ſe feciſſe DEO adorationem, ſubjectionem, humiliationem; &c. atq; hoc modo tantùm erunt meritorii greſſus illi & paſſus, quantùm, ſi cultu latreutico genu flexiſſet. Similiter unicam piam aſpirationem poteſt velle æquivalere multis, c. g. ſi dicat: Amo & æſtimo Te DEVS meus ſuper omnia; illud *Amo & æſtimo* ſic velit ſonare, ac ſi diceret: Amore & æſtimatione totius mundi, vel totius Eccleſiæ militantis, ac triumphantis.

IV. Poſſumus præterea actiones noſtras, aliorum actionibus fecundare, & quodammodo noſtras facere; ſi eas velimus tanquam noſtras DEO offerre, pro eis providentiæ Divinæ gratias agendo; pro iis, ac in iis DEVM laudando, ſic e. g. ingredienti Templum, materia laudandi DEVM eſt: Laudare illum pro extructoribus illius Templi, pro Benefactoribus, qui illud ornarûnt. Sic etiam poſſumus laudare DEVM; audiendo lectionem in ſchola, aut exhortationem, vel concionem, & offerendo DEO, eorum labores & potentias, qui laborant; ſimiliter legendo librum & laudando DEVM pro eorum Authoribus, impreſſoribus, compactoribus. Cur etiam itinerantes non poſſumus gratias agere DEO, pro laboribus equorum, aurigarum, ſociorum, &c. Cur pagum tranſeuntes, non poſſumus laudare DEVM per Angelos cuſtodes incolarum. Certè hoc S. P. Ignatius videtur nobis præſcripſiſſe; dum nos in omnibus DEVM quærere juſſit: hocq; SS. Patres facere ſolebant, dum ad has, prout nos vocamus, minutias, lyncei & pluſquam oculati eſſent.

V. Deinde poſſumus velle, actiones noſtras ſublimare meritis Chriſti & Beatiſſimæ Virginis. Cum enim Eccleſia, nihil habeat præſtantius & pretioſius, quo poſſit faciliùs DEVM vel demereri, vel placare, quàm Chriſtum, & Matrem ejus; conſultum eſt, ut quidquid agimus; id totum actionibus & meritis Chriſti uniamus, unitumq; offeramus DEO: vel certè in manibus Chriſti, benedicto ejus ſangvine reſperſis, omnia noſtra opera, Sanctiſſimæ Trinitati præſentari petamus: ita

nam ſi

namq; gratiùs à DEO respicientur. Sicut moneta minùs probata, admixta inter copiā legitimæ monetæ plerumq; admittitur, & tantūdē valere solet; aut gutta aquæ in dolio vini, saporē vini acquirit Ad hæc, possumus valorem operum nostrorum augmentare per vota iis præmissa. e. g. dicturus sum Coronam, sacrum celebraturus, mortificationem aliquam facturus, ita ut jam accinctus sim operi; possum equidem talibus actibus præmittere votum, sed tale, quod se extendat ad præsentem duntaxat actum, non ultra; quodq; ita me tantùm obliget, donec interveniat aliquod impedimentum, ut eo ipso cesset jam votum. Possumus etiam talia vota facere, pro non faciendis aliquibus operibus; e. g. si quis stimuletur ad aliqua inutilia, vel cupiam molesta dicenda, ad curiosum aspectum, ad utendum hâc vel illa commoditate; expedit pro hac una vice idem votum facere. Possumus velle, facere aliquid boni, aut pati aliquid mali, semel pro semper, ita ut profiteamur DEO; nos hoc ita facere, vel pati nunc, ut parati simus pati, agereq; semper; quæ quidem intentio habitualis tamdiu valet, quamdiu opposito actu non revocatur.

VI. Possumus insuper, augere gratiam, per dilationem, & extensionem desideriorum, ad plures, & plures actus: desiderando scilicet DEVM amare & colere, omnibus nostris desideriis, quæcunq; juxta capacitatem substantiæ creatæ haberi possunt, tam in genere, quàm in specie, imò etiam in numero: quin & omnium creaturarum, etiam possibilium desideriis, præteritis, præsentibus, & futuris, cum intensione animi quàm maxima, & cum possibili proportione Geometrica, usq; in æternum; idq; ob motivum, quod DEO est gratissimum & acceptissimum. Ad hæc, possumus optare, omnium Angelorum & Sanctorum merita, fieriq; locupletissimi de aliorum laboribus, e. g. cum videmus, vel audimus, opus aliquod eximiæ virtutis, possumus cupere, nos illud fecisse. possumus sanctè invidere, possumus ardenter desiderare, e. g. lacrymas Petri, zelum Pauli, castimoniam Ioannis, omnesq; omnium Sanctorum virtutes.

VII. Possu-

VI. Possumus velle, copiosos in pauperes effundere nummos cum Ioanne Eleëmosynario; totas cum Xaverio Indias Christo lucrari; tormenta omnium Martyrum subire; adeoq; possumus bona voluntate esse Martyres sine ferro & sangvine. Quod postremum, ut reliquos taceam, evincit authoritas D. Chrysostomi, hoc suis identidem inculcantis, præsertim Oratione de S. Eustachio: *Sæpenumero dixi vobis* (ait) *Martyrem facere, non mortem tantùm, sed animi quoq; propositum; non enim eventu solo, sed etiam voluntate, Martyris corona comparatur.* Hinc celebris Theologus Vasquez 1. 2. Qu: 76. docet, eum qui mortem pro Christo æquè perfectè desiderat, atq; is, qui re ipsa mortem excipit, tantundem præmii reportaturum. Quinimmo posset quispiam, ardenti & efficaci Martyrii desiderio, sæpius Martyr esse; ac longè meritis superare eum, qui unâ morte Martyrii laureolam consecutus est. Qualis creditur fuisse D. Bonaventura, qui tot acerbissimas mortes optavit subire, quot unquam homines fuerunt, vel erunt; ut vel sic posset satisfacere, pro sceleribus omnium mortalium. Votum quidem hoc fuit supra naturam; non tamen supra meritum. Quanquàm etiam supra naturam potest voluntas evolare, & ubi est opus, moraliter, vel etiam absolutè impossibile, illic meritum ac præmium sibi comparare. Lumen Doctorum Augustinus in amore extatico, ita in summam DEI bonitatem exarsit, ut exclamârit: *Si tu DEUS, esses Augustinus, & ego Augustinus essem DEUS; vellem ego DEUS fieri Augustinus, quò tu fieres & esses DEUS.* Simile fuit illud S. Brigittæ ad Deiparam sibi apparentem, tenerrimæ pietatis verbum. *Sic amo te MARIA, ut malim me Brigittam nunquam natam, imò damnatam fuisse, quàm ut MARIA Filia Ioachim, non fuerit Mater DEI.* Sancta Theresia optabat, usq; ad diem judicii, perferre pœnas Purgatorii; dummodo vel sic unam animam lucri faceret. S. Catharina Senensis, optabat collocari super os inferni, ut eum sic aliis occluderet. Sanctus Augustinus ad illud supra memoratum excessivæ Charitatis votum, jungebat aliud, desiderando cum S. Gertrude, *totam suæ carnis substantiam mutari in ceram, ossa & medullam in lychnum, animam*

 verò

verò in flammam, ut instar candelæ posset consumi, & liquescere in usum amati DEI. Sanctus Borgias dicebat: *Volo me demittere & abiicere, plusquàm ullus hominum fecerit.* Anima verò Christi ac DEIparæ, quàm flagranti voluntate fuerit, quis enarrare valeat? Ejusmodi ardentissima desideria, ex parte sua, efficacia; non minus grata fuêre DEO; quàm si absolutè fuissent effectum sortita. *Efficacia* inquam, nam quidquid hactenus dictum, intelligi debet de voluntate efficaci, quæ tamen raro habet locum, in vulgaribus Iustis; qui nimirum vellent Martyrium, & interim non ferunt patienter injuriosum verbum; qui vellent servire pestiferis, & adire Indias, cum vix apud ægrotum pernoctent; qui rapi sibi videntur in exstases amoris; & exiguum laborem reformidant. Hæc enim non est voluntas efficax; sed, prout vulgare fert verbum, velleitas, & simplex quædam complacentia.

VII. Simus ergo & nos viri desideriorum; cùm, teste Blosio, *DEVS non minùs Sancto desiderio lætetur, quàm si tota anima, amore, ac devotione liquefiat.* *Beatum* appellat Regius Propheta *virum, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*; id est exponente Richardo Victorino: etsi plùs posse suo, non tamen plus velle suo. Eodem modo & nos velimus magna, & ardua animo præconcipiamus, optemus, expetamus. Addit nobis animos S. Chrysost: quemlibet nostrum alloquens. *Si & tu volueris Apostolorum virtutem assequi, nihil Te prohibebit. Sola namq; voluntas, ac ferventissimus virtutum amor tibi sufficiet*, augebit gratiam, merita cumulabit. Neq; enim tibi desideranti & hoc modo postulanti, negabit Gratiam suiq; amorem DEVS, qui ultro clamat: *Ignem veni mittere, in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Verum est, hunc ignem esse donum DEI; quod ut altè animis nostris imprimat S. Augustinus, ait: *Prorsus donum* DEI *est, diligere* DEVM; *sed audi quid adjungat. Ipse ut diligeretur, donum dedit, qui non dilectus dilexit.* Cogita ergo illum tibi dicere, quod Samaritanæ: *Si scires donum* DEI, *& quis est, qui loquitur tecum, tu forsitan petiisses ab eo, & ille dedisset tibi aquam vivam.* Quam deinde petenti libenter & copiosè exhibuit, dum illam

fide

fide illuminatam, & ab illicito amore obductam, ad veram DEI dilectionem traduxit.

VIII. Quod si tuis desideriis & petitioni, aliquam Corporis castigationem adhibeas, ô quantum hac via, ad obtinendum, quod postulas, momentum adferes? S. Thomas Aquinas ut in difficilibus quæstionibus lumen exciperet, orationi jejunium adjungebat. & tu ad impetrandam Gratiæ charitatisq; Divinæ gemmam, omni scientiâ pretiosiorem, non libens aliquid laboris aut mortificationis impendes? Procus quispiam Nobilis, dum illustrem genere Puellam ambit in Conjugem, ubi ab illa inaudiit, se demum voti sui compotem fore, si iter Hierosolymitanum conficiat, & confectæ peregrinationis luculentum referat testimonium; conditionem accipit, laborem tam longinquæ viæ generosè exhaurit, ac tandem potitur coniugio. Tu qui Regis supremi Filiam, Gratiam, Charitatemq; Divinam, tuam Consortem facere desideras, ut ad illam tibi dandam Patrem æternum inclines, an non omnia tibi pertentanda, & devoranda meritò existimas? Audi Sponsam in Canticis, mortalibus tam pretiosæ gemmæ cupidis dicentem. *Si dederit homo omnem substantiam pro dilectione quasi nihil despiciet eam.* Vide quid profana cupiditas in Sichemi filio, quid obtinendæ Michol in Davide fecerit: & si tantùm virium habuit fugitiva ac cænosa voluptas, quid à te impetrare debeat Gratiæ Charitatisq; Divinæ laudabilis ambitio?

MEDITATIO III.

De Regno Christi.

Prælud. I. Imaginare Christum D. tribus ultimis vitæ suæ annis obeuntem cum Discipulis civitates, castella, & Synagogas; ibiq; prædicantem Evangelium, & docentem omnes, viam ad Cœlum, tum verbo, tum exemplo.

Prælud. II. Pete à Christo gratiam, ut audias ejus vocationem prompteq; sequaris, & perfectè ipsum imiteris.

PUNCTUM I. Si Rex aliquis terrenus, ad hoc eligeretur à DEO, ut ipsi obediant omnes Christiani, esset q; præditus omnibus Regijs dotibus, quæcunq; possunt excogitari, nam esset sapiens, prudens, fortis, magnanimus, opulentus, liberalis; amator subditorum; & qui non sua, sed eorum bona atq; commoda optaret & quæreret. Is ergo convocatis ad se omnibus subditis, ita eos alloqueretur: Fideles subditi mei, ego decrevi bellum inferre omnibus infidelibus, ut eos ad fidem Sanctam, & Ecclesiam Catholicam pertraham. Volo autem, ut in hac expeditione omnes me sequamini: supponite verò de me, quòd ego sim futurus primus ante omnes, in perferendis belli incommodis, in itineribus, in excubijs, noctisq; vigilijs, in ardoribus solis, in fame & siti, tandemq; in hostibus invadendis; eorumq; impetibus & ictibus sustinendis. Et tamen ex omnibus victoriarum spolijs, hostilibusq; manubijs, quæ multæ omninò futuræ sunt, nihil mihi appropriare volo; sed omnia inter vos dividenda curabo; ita; ut is majorem spoliorum partem sit accepturus, qui me propiùs comitatus atq; imitatus fuerit. Iam cogita, quidnam æquum esset bonis subditis, respondire ad talem, tales Regis propositionem. Nonnè omnesl promptissimo animo sese offerrent ad illum sequendum, in tam gratiosa expeditione? Nonnè unus nomine omnium, in hunc similemvè modum Regi responderet. Multis quidem titulis mereris, Regum optimè, ut non

ut non tantum imperijs, sed etiam minimis nutibus tuis pareamus. Rapit enim nos in tui obsequium & amorem, illa pulcherrima oris Majestas, illa sapientiæ Prudentiæq; tuæ Magnitudo, illa celsitudo animi, pectorisq; robur invictum; illa Regiæ manûs munificentia, cæteræq; præstantissimæ tum animi, tum corporis tui dotes, quæ sicut te Regem nostrum faciunt; ita nos vicissim Tuæ devinciunt Maiestati. Hic tamen vel maximè erga nos Tuus Amor, qui totus commodis nostris invigilat, ita nos tibi obstringit, ut pro tuo honore, sangvinem & vitam profundere, sit nobis dulce. Quis enim ita brutus & ferreus, ut cum Regem suum conspicit primum provolare ad arma, ad labores, ad pericula, ad vulnera; non se continuò mille mortibus exponat? Quandocunq; & quocũq; jubes, Regũ optime, ibimus; paratos nutibus tuis semper invenies. Alacres ibimus. Nulla nos terrebunt pericula, nulli labores fatigabunt; mors ipsa, non modò ullam molestiam nobis adferet, sed etiam pro summa felicitate reputabitur. Vtere servis tuis pro arbitrio. Ita omnes unanimi responderent ore, & ad id exequendum communi Sacramento se obstringerent. Quodsi aliquis detrectaret sequi Regem suum; adeo benevolum ac munificum; nonnè is pro ignavo, inerti, ac infami reputaretur? Nonne tanquam indignus reliquorum consortio, proscriberetur è finibus Regni; nunquam deinceps ad ullos favores, dignitates, officia, immunitates admittendus.

II. Quidnam est IESVS Christus, Filius Dei Vnigenitus, ipsiq; consubstantialis, & æqualis per omnia, nisi Rex æternus totius mundi, omniumq; hominum & Angelorum. Si spectes in eo Personam Divinam, Rex est connaturalis, Sapientiâ infinitâ, Omnipotentiâ, Bonitate, justitiâ, Liberalitate, cæterisq; Attributis Divinis præditus. Si etiam spectes naturam ejus humanam; Rex est, tum propter unionem hypostaticam ejusdem naturæ cum Persona Divina, tum propter omnia, & naturæ & gratiæ dona, quibus á Spiritu Sancto est infinitè cumulatus. Hic igitur tantus Rex eo animo venit in mundum, ut expugnaret hominibus Regnum illud æternum

Cœlestis gloriæ; & eos, qui mundo, carni, Diabolo, serviebant à potestate illorum Tyrannica liberatos, suo dominio subjugaret. Ergo ille omnibus ad se vocatis, ut eum in hoc bello sacro, sequantur ac imitentur, illis verbis persvadet: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum svave est: & onus meum leve. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Promittit autem Christus, quòd ipsemet sit primus futurus, in sufferendis pugnæ laboribus & excipiendis adversariorum telis. Nec tamen volet quidquam de victoriæ spolijs assumere sibi; sed ut omnia, inter suos milites fideles, cum proportione distribuantur, juxta uniuscujusq; majorem aut minorem fidelitatem, atq; in dimicando strenuam fortitudinem. Quis igitur Christianorum, non offeret sese promptissimo animo, ad dimicandum cum Christo, in bello tam glorioso & proficuo. Nullus profectò, qui polleat recto judicio. Si enim irrationabile ac vituperabile esset, non sequi Regem terrenum in expugnatione Regni terreni, quod est parvi momenti comparativè, & citò amissibile; quàm irrationabile, quàmq; vituperabile erit, non sequi Christum Regem æternũ in expugnatione Regni Cœlestis, quod est summi momenti, & in æternùm possidendum. Hoc igitur argumento convictus, firmum propositum concipiam, sequendi & imitandi Christum, quàm proximè & perfectissimè potero, in assumendis armis ad dimicandum aptis, ut abnegatione mei, mortificatione sensuum, obedientiâ &c.

III. Siquidem jam es Christianus ac Religiosus, adeoq; factus miles sub vexillo Crucis CHRISTI; examina vitam tuam præteritam, quomodo hactenus pro cælo expugnando dimicasti contra eos hostes, contra quos geritur hoc bellum; scilicet Mundum, carnem Diabolum; quorum arma non sunt alia, nisi inordinati appetitus, opum, voluptatum & honorum. Quomodo leges militiæ Christianæ observasti? vidisti Regem Christum doctrinâ & exemplo ad omnia tibi præ-

euntem, in debellandis opibus hujus mundi, per Paupertatem; in vincendis carnis voluptatibus, per continuam mortificationem; in proterendis vanis honoribus per abnegationem sui, humilitatem, ac obedientiam. Esnè secutus, ac imitatus tuum Regem, in modo pugnandi, cum tuis adversarijs? Fuistine Regi tuo fidelis? fuistine primus in impetendis hostibus eorumq; excipiendis telis; ut Regem tuum defenderes tibiq; apud eum amorem & gloriam comparares? an verò fugisti è prælio, aciem solvisti, Regem turpiter deseruisti? O quantum in te reperies, ob quod meritò confundaris; ob quod jure timeas; non solùm te, de spolijs victoriæ, quidquam non relaturum, sed etiam gravem infamiam, & supplicium habiturum? Si enim in bello temporali miles ille dignus esset gravi ignominiâ & suppliciô, qui eo tempore, quo hostis erat invadendus, terga verteret, ac de prælio fugeret: & multo majori adhuc notaretur infamiâ, pænâq; plecteretur, qui pro eo, quòd esset defensurus Regem, ille contra eum arma verteret, ad castra hostilia se recipiens. Tu, qui in hoc bello spirituali, toties terga vertisti, toties è prælio fugisti, toties Regem tuum deseruisti, toties contra eum arma sumpsisti, quoties tuis appetitibus inordinatis, opum, voluptatum, honorum, morem gessisti, quid speras? Quâ facie accedes ad tribunal tui Regis & Iudicis; & quando dividet spolia victoriæ, quod facit in hora mortis, quâ fronte ab illo petes aliquam eorum partem, cum scias a D. Paulo pridem esse pronuntiatum: *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* hoc est, nisi qui præscriptas à Christo militiæ Christianæ leges exactè observaverit.

In Colloquio Deprecare Regem Tuum; Novoq; te illi Sacramento per vota Religiosa obstringens, propone compensare negligentias, & exorbitantias tuas; resolvendo te ad aliquos heroicos actus, Christi causâ exercendos.

Pater noster.

DIES

DIES OCTAVA.

Dedicanda SS. Pontificibus ac Doctoribus, præsertim Augustino, Gregorio, Thomæ Aquinati; nec non Doctoribus nostræ Religionis, bene de Ecclesia, meritis. in gratiarum actionem pro insigni Eucharistiæ dono, in satisfactionem pro peccatis contra reverentiam hujus Sacramenti admissis; ad impetrandum illius condignum usum, præsentim in agone vitæ,

MEDITATIO I.
De duobus vexillis.

PUNCTUM I. Considera duos Duces inter se omnino oppositos, Luciperum & Christum; & quomodo uterq; vocat homines, ut sub suo vexillo militent. Luciper, tanquam Princeps hujus mundi, degens in campo Babyloniæ, sedet in throno ignito & fumoso, totus teterrimus, truci vultu, aspectu horribili, stipatus innumeris Dæmonum legionibus, conjuratis in perniciem mortalium & eversionem Regni Christi. Ergo ille turbatâ immoderatáq; voce, convocatis ad se dæmonibus, ait: *Milites mei, hæc voluntas mea est, ut omnes mortales trahamus ad Regnum nostrum. Ergo per universum orbem dispergimini, ubiq; tendite laqueos & retia, ad illos capiendos. Nullum omnino relinquite, quem non tentetis. Confidite verò, facilè id vos effecturos, si meis monitis obtemperetis. Non est ulla ratio efficacior illos decipiendi, quàm per concupiscentiam carnis, per concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Ergo illis obtrudite sensuum illecebras, vestium splendorem, ciborum lautitiam, pecuniæ utilitatem, possessionum emolumenta, honorum culmina, fastigia dignitatum. Ite, per Orbem volate, omnes accendite, à DEO quàm plurimos potestis, avertite, & nostro aggregate dominio. Probabit eventus, ausus vestros.* Dæmones ergo mandato sui Ducis protinus obtemperantes, agunt rem instantissimè; quasi leones

rugientes,

rugientes, Orbem circumeunt, quærentes quem devorent; variîs fraudibùs, sensibus animisq; hominum se insinuant; plurimos à vexillo Christi retrahunt, in suasq; pertrahunt partes, & in æternam perditionem secum abducunt. Deflebo, hîc magnam cæcitatem multorum, à Dæmonibus seductorum, qui, cæstò, sciant non aliud fore stipendium laborum suorum, nisi mortem æternam; tamen Christo derelicto, ejusq; spretis consiliis, adhærent Diabolo, & ejus exequuntur svasiones. Meam quoq; stultitiam simul deflebo, & damnabo, quia ex illorum numero, sui aliquando. Ah utinam non fuissem unquam, nec sim in posterum.

II. E contra verò Christus tanquam Princeps & Rex Electorum; in campo Hierusalem vicino, sedet in subsellio humili, sed gratioso, totus amabilis, vultu amæno, oculis dulcè renidentibus, circumfusam hominum multitudinem ad se invitans, illis verbis: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Quibus verbis contraria prorsus svadet iis, quæ Diabolus suggerit. Quid enim est abnegare semetipsum? nisi renuntiare voluptatibus carnis, abdicare divitias, & contemnere honores, atq; excellentias Mundi? Quid deinde est, tollere Crucem suam? nisi paratum esse ad perferenda contraria omnia; nempè ad afflictionem mortificationemq; carnis, ad Paupertatis ærumnas, ad humilitatem, & subjectionem. Quæ opponuntur triplici illi concupiscentiæ à Diabolo suggestæ, non solùm privativè; quia sunt carentia illius; sed etiam contrariè, quia inferunt contrariam passionem; pro voluptate, dolorem; pro rerum affluentia, earum penuriam; pro exaltatione, depressionem. Deniq; vult Christus, ut non solùm abnegemus nosmetipsos, & tollamus crucem nostram; sed etiam ut sequamur & imitemur Christum. *Et sequatur me;* quia sicut milites conantur imitari Duces suos, & discipuli Magistros, & filii suos Parentes, eorumq; exemplo, inflammantur ad præclarè facta, ut illis possint esse quàm simillimi: ita quoq; nos debemus inflammari exemplo Christi, ad heroica opera, ad abnegationem voluptatum, & mortificationem nostri, ad

contemptum divitiarum, & vanæ exaltationis; ut Christo Duci, Magistro, Patriq; nostro, quàm simillimi evadamus. Et certè ita omnino convenit fieri: Cum enim Caro impellat me suis stimulis ad peccatum, debet mortificari: cum Divitiæ & Honores sint laqueus animæ & fomes peccati; fugienda sunt. Et cum præsens vita non possit esse absq; Cruce; ea potiùs est eligenda, quæ sit utilis pro comparanda felici æternitate. Talis autem est illa, quam intuitu Christi imitandi, feram. Sicut enim ille, ob amorem mei de cælo descendens, Crucem suam sustulit; ita quoq; decet, ut ego ob amorem ejus tollam Crucem meam, ut ab illo deinde in cælo præmium & mercedem recipiam.

III. Quibus autem rationibus Christus utitur, ad persvadenda hominibus ea, quæ in secundo puncto sunt posita. 1. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Sicut nimirum ille qui propter amorem Christi mortui, vitam suam exponit morti, tunc illam vel maximè lucratur; quia pro temporali & misera, recipiet æternam, & ex omni parte felicem, ita quoq; ille qui propter amorem Christi afflicti, pauperis, humiliati, & usq; ad mortem obedientis, libens abdicat & amittit carnis voluptates, divitiarum commoda, & culmina dignitatum, tunc vel maximè illa lucratur, quia hæc omnia recipiet in altera vita, cum fænore centuplo. 2. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Interrogemus damnatos, quid eis modò prodest, quòd olim fruerentur voluptatibus Corporis, quòd affluerent multis divitiis, quòd fulgerent summis honoribus? En ipsi sapientiæ 5. respondent: *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt illa omnia velut umbra, velut somnium & tanquam Nuntius prætereiens;* modò autem tormenta nostra manent in æternum. Quid prodest modò e.g. Alexandro Magno, aut Cæsari, quia laudantur ubi non sunt, & cruciantur ubi sunt? Quanto meliùs illis fuisset, si propter Christum despecti, contempti, obedientes, Pauperrimi,

Egen-

Egentissimi, mortificati extitissent; sicut è contra, quid nocet Sanctis, modò cum DEO regnantibus, quòd fuerint Pauperes, Obedientes, Casti? non solùm non nocet; imò verò plurimùm eis hoc prodest. *Filius hominis, venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundùm opera ejus.* Tunc, ille qui vexillum Crucis Christi secutus fuit; in gloria Cœlesti, præmium ab eo referet, qui autem vexillo Sathanæ adhæsit, in damnatione æterna, pænam cum eo sustinebit. Cum ergo hæc ita omnino sint; & cum non liceat simul militare Christo & Sathanæ; quia impossibile est duobus Dominis servire, præsertim ita diversis: videndum ac eligendum mihi est, cuinam potiùs adhæream, & cui adhæsisse posthac juvabit, quando veniet tempus reddendæ rationis; & recipiendæ mercedis. Quanquam non sit opus, ad illud tempus respicere, illudq; expectare; cum etiam in præsenti jugum Sathanæ sit durissimum gravissimumq; jam verò jugum Christi sit levissimum & suavissimum. Nonne de illo conqueruntur ipsi sequaces? *Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles.* Ad hoc autem Christus invitans, ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Tollite jugum meum super vos. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Res mira; quòd Crux Christi multis sit perfugium & levamen, præ servitute Mundi; per quam servitur voluptatibus, divitiis, & honoribus. Nam qui verè sapiunt, huc tandem, tanquam ad asylum & tanquam ad portum à jactatione securum, recipiunt sese: quod quidem faciunt soli mites & humiles corde; nam feroces & superbi, sapientiam istam non capiunt.

Colloquium fiat cum Christo, Gratias illi agendo, pro ejus magna erga nos propensione, ex qua nobis, tam utilia consilia suggerit. Offerendo promptissimè ad illius obsequium, tum corpus cum omnibus sensibus, tum animam cum omnibus ejus potentiis. Renuntiando ob amorem ejus, omnibus deliciis, divitiis, & honoribus; contraria verò amplectendo & exequendo. Pater noster &c.

Ejaculatoriæ per diem usurpandæ.

I. Domine sequar te, quocunq; ieris.

II Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

III. Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.

DOGMA MATVTINVM.

Gratiæ Ductu; insistendum est vitæ, Mundo per omnia Contrariæ.

I. QVod est anima in composito vivente; hoc in homine justo Gratia. Sicut enim illa, est primum & radicale principium, omnium proprietatum & potentiarum, per quas deinde, compositum illud exit in actus, seu operationes sibi congruas: ita Gratiam, veluti supernaturalem animæ nostræ substantiam, necessariò consequuntur supernaturales quædam facultates, seu habitus, quorum adminiculo edimus opera humanis majora, æternisq; digna præmiis; quæ alioquin humanis viribus, nec suscipi possunt, nec perfici. Ad illa ergo inchoanda, & consummanda, opus nobis est, lumine aliquo sublimi, cælesti, planèq; Divino. Quod nemo alius suppeditat, nisi ipsamet Gratia DEI, dum suis dictaminibus animam illuminat, in operando dirigit, & quasi manuducit. Porro dictamen hoc primum ac præcipuum est. *Insistendum esse vitæ, per omnia spiritui mundano contrariæ, viisq; oppositis incedendum; solius verò DEI, & Christi ductu, ac spiritu vivendum.* Neq; verò dictamen hoc iis duntaxat inculcandum, ac tenendum, qui modò primùm sæculo nuntium remittunt, sed iis omnibus, qui aut jam perfecti sunt, aut esse volunt. Certè ad plurium annorum veteranos, Divus Bernardus verba fecit, dum eos plangeret, qui corde redeunt in Ægyptum, sæculi hujus oblectamenta sectantes; ac proinde vitam fidei, quæ est Charitas, non habentes. In quorum numero nostræ quoq; Societatis homines, interdum reperiri, graviter dolet P. Claudius Aquaviva in suis Industriis; ejusq; reditûs in Ægyptum non obscura adfert indicia: cujusmodi

modi sunt, signa quædam vanitatis erumpentia, amor excellentiæ, sæcularitas, & aulicismus, in familiaritates Principum, gratiamq; externorum, sese insinuans; aversio à minùs speciosis Societatis ministeriis, politica agendi ratio, stulta quædam de se ad magna agenda præsumptio, & similia. Cum ergo nos, *non hujus mundi Spiritum acceperimus, sed Spiritum qui ex DEO est*, ut inquit Apostolus, 1. Cor: 2. & ad Rom: 12. *Nolite conformari huic sæculo*; induentes scilicet mores mundi; ideo pro regula & norma vitæ nostræ non mundana dictamina, sed cælestia, ac Divina sunt nobis tenenda.

II. Notum illud est Sophon: 1. quàm horrendè DEVS minetur his, qui *induti sunt veste peregrinâ*; extraneâ scilicet, & quæ ab eorum professione, statuq; degeneret. Quid autem magis peregrinum, quàm servum Christi gestare insignia Antichristi; quàm DEO militantem, rursum se implicare sæcularibus negotiis? quàm hominem Religiosum, mundi opera, quibus renuntiaverat, repetere? *Incepisti* (ait S. Augustinus serm: 18. de Sanctis) *esse toto mundo major, & altior sæculô, ponens sub tuis pedibus, quod ipse supra caput suum collocat: ne igitur abjicias te iterum, ut conformes te mundo, & ponas super caput tuum, quod priùs habebas sub pedibus.* Posuisti, sicut mystica illa mulier in Apocalypsi, sub tuis pedibus inconstantem bonorum temporalium Lunam, & super caput tuum, quasi coronam, stellas fixas bonorum æternorum: ideoq; Sol Iustitiæ induit te totum, à pedibus usq; ad caput se ipso, & gloriosâ sui imitatione, in vita & moribus suis; ne igitur ordinem hunc invertas, sicut mundus, qui lunam ponit super caput suum, & stellas sub pedibus suis; contemnens nimirum spiritualia & æterna bona; pluris verò faciens temporalia. Quare vivendum est modo inverso, & Spiritu, è diametro repugnante ei, quo mundus vivit; sed illi quàm simillimo, quo ipsemet Christus vixit, de se ajens Ioan: 14. *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Quòd si in illo nihil habet; profectò in nobis nihil habere debet, qui sicut Nominis IESV heredes sumus; ita & Spiritûs IESV esse debemus. Certè omnes eximii imita-

tores filii DEI, omnia sæculi delinimenta, tanquam venena rejiciunt reprobantq;. Hinc S. P. Ignatius, non solùm validè observavit, omnem ad nos sæcularibus dignitatibus aditum, sed etiam humilitatem IESV strictissimè commendavit, ut non solùm horreamus honores, sed etiam concupiscamus humiliationem, appetamus contemni, amemus exprobrari, gaudeamus vilipendi, exsultemus irrisi, & tanquam stulti habiti. Aurea profectò sunt, & Divino Spiritu plena, transcenduntq; omnem humanam sapientiam illa verba, quibus hoc commendans, scripsit Regulam, literis aureis insculpendam religioso cordi, quam Ludovicus de Ponte, doctrinam maximi momenti, & in vita spirituali valde pretiosam, cælestemq; appellat; incipit autem: *Diligenter animadvertant oportet &c.* Qua profectò doctrinâ Vir ille Divinus, omnem Evangelicæ doctrinæ medullam, cælestemq; Sapientiam circumscripsit ita abundanter, ut non solùm contemptum ipsius contempt ûs humani, sed etiam ardentem amorem humiliationis, totiusq; despectionis pro Christo nobis imprimat. Pudeat ergo magni facere, parvi pendentes virtutem; cumq; Mundus oderit, & contemnat eam, non satis ulciscemur, nec satis vindicabimus DEVM, nisi ipsum oderimus contemnamusq; Mundum. Pudeat, Mundanos esse avidiores, ac diligentiores ad malum, quàm Religiosos ad bonum; proniores illos ad Vanitatem, inanemq; honorem, cum damno & periculo suo, quàm hos ad humilitatem utilissimam, multisq; gratiis & charismatibus S. Spiritûs plenam: siquidem *DEVS humilibus dat gratiam, superbis autem resistit.* Meritò igitur dixit Apostolus Iacob: 4. *Amicitia hujus mundi, inimica est DEI. Quicunq; ergo voluerit, amicus esse hujus sæculi; inimicus DEI constituitur.* An putatis inaniter à Scriptura dici: *Ad invidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis; majorem autem dat gratiam.* Quasi zelotypiâ quadam, & invidia affici videtur Spiritus Sanctus, cum inimicos DEI, magis strenuos ac diligentes, ad Mundi obsequia videat; quàm Servos Christi ad curam Gloriæ Divinæ, salutisq; suæ officia: maximè cùm Viri Spirituales velut transfugæ ad inimicam

micam DEI, Mundi amicitiam, ejus honores, & alia quæ ipse amplectitur, ambiunt; quæ tamen tanquam abominationes Ægyptiorum, odio prosequi debuissent; nec ullatenus permittere, ut aquila superbiæ, sublime volans, medullam cedri, ex monte Libano devoret; hoc est, cor ejusmodi Religiosorum depascatur.

III. Cùm enim professio Religiosa sit status Pænitentiæ, congregatio flentium peccata, grex mortificatorum hominum, cohors imitantium Christum, cœtus compatientium & condolentium pro morte Filij DEI, in amaritudine animæ suæ, quibus dixit IESVS: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Quid igitur vero pænitenti, cum gaudio hujus mundi? quid deploranti crimina sæculi, cum prosperitate sæculari? quid humili cum honore? quid mortuo cum luce, cum splendore, cum felicitate & vitâ hujus mundi? quid servo IESV, cū Diaboli pompâ & fastu hominum, cum primarum Cathedrarum Officiorumq; speciosorumq; ambitu? Procul à nobis sit velle lucere, qui lugere debemus; procul vivere huic mundo, ac eminere in illo, qui sumus mortui sæculo, & consepulti cum Christo, procul appetitus mundani honoris, qui humilitatem Filij DEI sumus amplexi; procul splendor & fulgor sæcularis, qui miseri judicamur à sæculo. Monstrum profectò est, imitationem IESV profiteri, & appetere mundi honorem; elegisse vitam absconditam in Christo, & velle inter homines splendere: hoc enim est, quod vehementer dissonat Filijs DEI, & legitimis Discipulis IESV Christi. Licèt enim imperfectis & tepidis non videatur absurdum, imò putetur sæpe rationi consonum: at ii, qui verè imitantur Christum, contraria longè meliùs sapiunt, adeoq; non solùm non formidant humiliationem, sed etiam avidè appetunt, & in illa exsultant. Tali spiritu plenus erat S. P. Ignatius, qui amore IESV, ejusq; similitudine lætatus, opprobriis pariter & contumeliis exultabat; sicut de Apostolis dicitur: *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Nimirum amor IESV est potentissimus, ejusq; imitatio efficax, ut con-

ut condiat, ac suavefaciat omnia acerba & amara; Hinc verus amator & imitator Filii DEI, in nulla re gaudium voluptatemq; capit, nisi in ejus imitatione, hoc est in patientia, ignominiis, laboribus, Cruce. Crux illi delicium est, Crux dulcedo, gaudium, omne bonum: gaudia verò Mundi, & quidquid ipse magnifacit, per quod discedit à vita Christi, eiusq; doctrinâ; Crux illi est. Hinc D. Paulus, gloriabatur in laboribus, ignominiis, infirmitatibus, in omni humilitate, & cruce IESV, ut sæpe in suis Epistolis meminit, præsertim cùm dixit; se esse *crucifixum mundo, & sibi mundum*; quia quæ Mundus æstimabat, sibi Crux & pœna erant; iis verò gaudebat & gloriabatur, quæ Mundus molesta habet, & tanquam cruces putat, ac odit. Atq; in hoc S. Fundator noster voluit Apostolicos familiæ suæ viros, esse imitatores Apostoli, sicut & ipse fuit imitator Christi. Idcirco arduam & perfectissimam præscripsit Constitutionem, amandi propter Christum contemptus, & opprobria; Cujus quam multi fuerint diligentissimi observatores, hic paucis innuo.

IV. Fervens DEI Servus Cyprianus Zapata, Religiosus nostræ Societatis de omnium quidem Regularum observantia erat solicitus; hujus tamen Regulæ fuit studiosissimus; adeò, ut datâ fermè operâ, proferret aliqua inepta quo stultus reputaretur; ut hanc Regulam ita exerceret, conviciisq; gauderet onustus. Alphonsus Barrettus Sanctâ quadâ cupidine humiliationis & contemptûs incensus, nudis pedibus, & veste lugubri indutus, in publicum veniens forum, tanquam criminis reus, ad pilam marmoream quæ publico serviebat supplicio, alligari se fecit; ibiq; omnium dicteriis, ludibris, & publicæ ignominiæ expositus, egregium de se ipso, ipsoq; mundo triumphum obtinuit. Ejus Frater Melchior Nonnius Barrettus, eo ipso die, quo Laureâ Doctoratûs à Conimbricensi Academia donatus fuit, pompâ & apparatu insolito, ad Nostrum Collegium, à plenâ & illustri Academicorum catervâ deductus est; Meliorem Religionis Lauream assumpturus. Vix dum substiterat in Domo Tyrocinii; cùm, eo ipso die jubetur

jubetur, ut pallio mutato, in detritum futilémq; amictum, vervecem humeris sublatum, dono ferat per Vrbem mediam, Marco Romæo Theologiæ Professori, cujus Patrocinio pro more usus fuerat in ipsa Doctoratûs inauguratione; præstò fuit imperio; dorsumq; onerans, ac deferens injunctum onus, stupente populo perrexit ad Romæi domum alacris, eiq; spectaculi insolentiâ veluti attonito ac subita rei novitate, penitus stupefacto, munus illud obtulit. Fidelis DEIparæ Virginis Cultor P. Martinus Guttierez, & elevati Spiritûs, P. Balthasar Alvarez, aliiq; è nostris, licet gravium culparum innocentes, accusari tacuerunt; nullatenus se excusantes; quamvis ab aliis propterea contempti, magnam celebris nominis jacturam ad tempus fecerint. Ita multis, mirisq; modis Servi DEI, humilitatem Christi reverentes, omnem mundanum honorem, humanamq; gloriolam conculcârunt, ut vitam mundo contrariam agerent.

V. Advertendum tamen, ista & consimilia facta, regulariter, & secundùm communem legem, admiranda quidem esse, non tamen imitanda semper & agenda: cum Apostolus dicat: *Ab omni specie mali, abstinete vos.* Itemq; *Quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus.* Oportet igitur Servos DEI, contentos interim esse, ardentibus desideriis, patiendi pro Christo opprobria, contumelias, falsaq; testimonia; ac illud votum devotissimi Thomæ à Kempis sæpius repetendi: *Da mihi Domine omnibus mori, quæ in mundo sunt; & propter Te amare contemni, ac nesciri in hoc sæculo.* Atq; hoc est: Dictamen Gratiæ sequi; hoc ambulare Spiritu Christi, quem Mundus non potest accipere; quia semper contraria Christo, ejusq; altissimis consiliis gerit Principia & studia.

VI. Vt verò hæc Sancta, patiendi pro Christo contemptus, excitare in te desideria possis; hæc sæpius profundiore animo revolve, ac moribus eventibusq; Tuis applica. 1. Prudens architectus, dum altum molitur ædificium, eousq; terram eruit, donec ad firmum ac solidum perveniat fundum: ita qui perfectioni spirituali acquirendæ dant operam, ædificium vir-

tutum, supra nihilum Humilitatis, quo nihil solidius, construunt; se nihil æstimantes, & ut pro nihilo ab aliis habeantur, apprimè curantes. 2. DEVS, uti de nihilo Mundum aspectabilem condidit: ita, ut in anima hominis, mundum novum Spiritualem creet; nihilum Humilitatis in illo requirit, quo seipsum pro nihilo reputet, & talis ab aliis haberi desideret. 3. Si phiala Crystallina radiis Solis illuminata, eam pulchritudinem, quam à radiorum collustratione recipit, sibi, suæq; industriæ tribueret, graviter insolesceret: quia quod suum non est, stultè sibi arrogaret. Quodsi non tantùm lucem, sed etiam substantiam suam à sole accepisset, & tamen eam sibi attribueret; impudentia ipsius enormiter accresceret. Idem nobis accideret; si de aliquo tanquam nostro gloriaremur, qui omnia à DEO accepimus, & ex nobis sumus mera omnis boni privatio. Vnde quemlibet nostrûm inclamat Apostolus. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, unde gloriaris, quasi non acceperis?* Non tua sunt, sed DEI, quæ ad usum dedit; grande olim fænus exacturus. En quò desinit gloriandi materia: in metum, in severa judicia, ut cui plura data sunt, ab eo quoq; plura repetantur. En quàm humiles de nobis gerere sensus debemus? 4. Studiosè nobis supra cogitationes propriæ æstimationis vigilandum esse, monet S. Gregor: l. 26. mor: c. 1. si securè ambulare volumus; quia dum DEVS videt aliquid intus, quod mentem elevat, permittit foris invalescere, quod deprimat. Nunquam apud DEVM gratiam & magnam nostri æstimationem colligemus, nisi nos ipsos ex animo despiciamus. In profundum nostri nihili descendamus oportet; si ad culmen virtutum ascendere velimus. *Cavendum*, ut ait S. August: de Natur: & Grat: *ne homo, dum, quod DEI est reputat suum, amittat, quod DEI est, & redeat ad suum.* 5. Oculatus Virtutum arbiter S. Thomas Aquinas dicere solitus erat: Hominem, qui contemptum ferre non potest, etiamsi miracula faciat, non esse pro Sancto, aut magnæ Virtutis Viro habendum. Vir quidam Solitarius, reputabatur inter Eremicolas non vulgariter Sanctus; Episco-

pus loci, ut ejus virtutem exploraret, misit ad id probandum, aliquem prudentiâ & rerum cælestium cognitione probè instructum: hic tumultuariè, & militari quodam ausu ingressus cellam Solitarii, jubet ocreas ab eo sibi detrahi: qui arbitratus, sese ab eo despici afficiq; probro; severo vultu interrogavit. *An nosset, quis esset?* Tum explorator. *Novi*, ait, *novi. O non es Sanctus, ut aliqui putant, quandoquidem oblatam humiliandi te occasionem non accipis.* Aliter se gessit citatus proximè Angelicus Theologus, similem humiliandi se occasionem nactus; qui à Fratre quodam simplici, potestatem à Superiore eundi ad Civitatem adepto, jussus, ut se eò prodeuntem comitaretur, libens paruit, socium illi se junxit, & nimiùm properantem Fratrem, anhelo passu secutus est: cunctis, qui tanti Viri dignitatem noverant, stupentibus. Eluxit heroicè tam heroicum sui Abnegandi studium, in Tertio Societatis Nostræ Generali, S. Francisco Borgia; cui claves Collegii tenenti, dum nomine Eleemosynæ oblatus esset, mactatus jam Porcus; non neglexit Vir Sanctus, idoneam hanc deprimendi sui occasionem; sed impositum suis humeris onus, strenuè sustulit, ac in Officinam deportavit domesticam. Quid memorem illam generosissimam ejus sustinentiam; dum in diversorio, à Bustamantio prope decumbente, tota nocte sputis ac fædo rheumate coopertus, non solùm tacuit; sed etiam, memoria consputi Christi erectus, de hac sui fortuita humiliatione, hilaris exultavit. Suppari eum virtute æmulatus est P. Fabius de Fabiis, qui ex prima Romanæ Nobilitatis, eaq; illustrissima stirpe oriundus, estò in Societate, summis quibusq;, Generalatu dempto, Præfecturis perfunctus; ea tamen pollebat animi demissione, ut, (cum quidam ignotus Frater Coadjutor de via in Collegium Romanum venisset, & vestem luto infectam, purgare vellet, conspiciens prope Fabium, nec Viri dignitatem agnoscens, invitavit eum ad detergendas pallii calceorumq; sordes) non detractaverit Vir humilis, humile obsequium, sed prompta Fratrem alacritate juverit in abjecto opere: donec à domesticis detectus, quis esset, Fra-

cri præ pudore se deprecanti, sinceras egit gratias, quòd sibi optatam humiliandi se præbuisset materiam.

MEDITATIO II.
De tribus Gradibus Humilitatis.

Prælud. I. Cogita, te stare coram Christo, cum ejus Discipulis, & audire ab illo exhortationem illam: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

Prælud. II. Pete à Christo, ut ab eo, tanquam Summo Professore discas, non solùm intelligentiâ, sed etiam imitatione: quid sit illa humilitas, quam te vult docere.

PUNCTUM I. Primus & infimus humilitatis gradus est, ut me ita subdam voluntati ac legi DEI, ut malim potiùs mori, quàm DEUM offendere aliquo peccato mortali. Ubi expende. 1. Quàm sit rationi consentaneum, ut vile mancipium & creatura DEI, subdat se sanctissimæ voluntati sui Regis; à quâ, velit nolit, debet dependere, propter naturalem sibiq; essentialem subordinationem suî ad illam. Si enim Reges terreni, jure id exigunt à suis subditis, ut sua mandata, etiam cum detrimento facultatum, & vitæ ipsius exequantur; quamvis ab illis nec facultates nec vitam habeant: multò majori jure DEUS id à nobis, suis Creaturis exigit, utpote qui & facultates, & ipsam vitam ab illo accepimus, tum per creationem, tum per conservationem. 2. id esse valde utile hominibus, sic enim sibi conciliant amicitiam DEI, & plurima dona, ac finaliter vitam æternam. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 3. Ita se gessit Christus, ita Martyres, ita alii permulti, qui maluerunt opes, honores, ipsamq; vitam perdere, quàm voluntati, legiq; Divinæ contravenire. Si ergo & tu vis ad vitam æternam ingredi, resiste omnibus tentationibus, quæ te ad violandam DEI voluntatem solicitant. Age gratias DEO, quòd te à multis occasionibus violandi legem DEI

DEI abstraxerit, vocando te ad Religionem è sæculo, tanquam Loth educendo te de Sodoma, in locum securitatis. Non fide tamen tibi: etiam hic Diabolus non dormit; sed circuit tanquam leo rugiens, quærens, ut te devoret. Roga ergo impensè auxilium DEI, ut tibi præstò sit semper, ubiq; ac in omni occasione, quod te dirigat, protegat, defendat, eruat, &c.

II. Secundus & jam altior humilitatis gradus est, ut te ita subdas voluntati Legiq; Divinæ, ut mori potiùs malis, quàm ullum peccatum veniale deliberatè committere, ubi expende. 1. quàm hoc sit rectæ rationi consonum; siquidem æquissimum est, ut Filius ita æstimet & appretiet voluntatem Patris sui amantissimi ac dignissimi, ut ipsius honori non solùm postponat fortunas temporales; sed etiam vitam ipsam. Atqui DEVS, est Pater tuus amantissimus, atq; dignissimus omni honore; igitur tu velut Filius ingenuus, debes malle, vitam potiùs amittere, quàm illum deliberatè, etiam leviter offendere. 2. Quanta est illorum miseria, qui in istum gradum non conantur ascendere! siquidem illi non habent conscientiam tranquillam; non sunt in fida cum DEO amicitia; carent Divinis consolationibus, lumine spirituali, robore & fortitudine ad resistendum tentationibus, sensim disponuntur ad mortalia, vivunt cum mala ædificatione. Sancti verò conabantur omnibus modis, in istum gradum ascendere. Porro hi duabus proprietatibus sunt præditi. 1. quòd sint indifferentes ad habenda vel non habenda quælibet bona temporalia, ita, ut estò istis creaturis habendis contrarii sint, quas vident esse vel leviter repugnantes legi Divinæ; tamen eas, in quibus habendis vel non habendis, est æqualis Gloria DEI, indifferenter volunt. 2. quòd retineant voluntatem fruendi commoditatibus corporis, facultatibus, & honoribus, modò id fiat sine levi etiam offensa DEI. Verùm hi non sunt usq; adeo perfecti, neq; student multis Virtutibus acquirendis. Examina te, utrum hunc saltem humilitatis gradum conscenderis; an Cor tuum non adhæreat bono alicui creato,

ita ut propter illius respectum, sæpè committas peccata venialia; e. g. verba mendacia, Curiositates, garrulitates, sensualitates &c.

III. Tertius isq; Supremus humilitatis gradus est: Vt, si alicui proponantur duo ad eligendum, objecta, in quorum utroq; est æqualis gloria DEI; unum tamen illorum est magis abjectum, magis pœnosum & afflictivum, magisq; egenum; & ille hoc potiùs eligit quàm illud; idq; ob respectum Christi Domini, propter nos valdè humiliati, abjecti, afflicti, & ad extremam Paupertatem redacti, imô exinaniti, ut illum quàm proximè imitetur; jam ille est in tertio Humilitatis gradu. E. g. proponuntur alicui Adolescenti, Paupertas & Divitiæ; item contemptus & honores, item afflictiones & voluptates; ille probabiliùs existimat, quòd si alterutrum elegerit, par sequetur gloria DEI, salusq; animæ ipsius; interim venit ei reflexio. Christum potuisse esse divitem in Mundo, & tam benè potuisse promovere gloriam Patris æterni, per divitias, quibus abundasset plusquàm Salomon, atq; defacto eam promovit per Paupertatem: & tamen ille potiùs elegit Paupertatem. Et sic, de contemptu & honore, de afflictione & deliciis discurrendum. Igitur & ego propter amorem & imitationem illius, eligo potiùs Pauper, abjectus, & afflictus esse in domo DEI mei. Vt autem aliquis possit faciliùs gradum istum conscendere; valdè illum juvabit, si in quovis casu dubiæ Electionis, enixè petat à DEO, ut nobis illud extremum potiùs disponat & concedat, quòd est magis contrarium sensualitati nostræ, uti sunt: Paupertas, Ignominiæ, Dolores, aliæq; pœnalitates; quibus magis assimilamur Christo Domino, ejus vestes & insignia induentes; siquidem ipse propter majorem profectum nostrum spiritualem illa induit, nobisq; exemplum dedit, ut Eum, quantum fieri poterit, in omnibus imitemur: cum ille sit vera Via, quæ ducit homines ad Vitam.

Colloquium triplex fiat. 1. cum Beatissima Virgine, petendo ab illa, ut nobis impetret veram Filii sui imitationem.

2. cum

2. cum Filio, ut nos ad eam admittat. 3. cum Patre æterno, ut gratiam nobis uberem largiatur, illam perficiendi. Terminenturq; ordine suo, per Ave MARIA, Anima Christi, Pater noster.

REFLEXIO
Supra
PAUPERTATEM RELIGIOSAM.

NOn animum turbet placidum penuria rerum;
Fixior hæc humili sedeat sententia mente;
Te nec iis dignum, quæ semper habere necessum;
Esse DEO cordi, quidquid tua vita requirit.
Oblatæ tibi res nimiæ, fastidia gignant.
Ne afficiare rei nimiùm, quam postulat usus;
Nec paveas, ne quando tibi quis subtrahat illam.
Quæ pascunt oculos. & mulcent mollia corda;
Nulla de causa foveas damnata latebris.
Quêis frueris, poterasve frui, tua commoda, mente
Non recolas; horum teneant oblivia sensus.
Quo reliqui proprium circumdant corpus amictu,
Convenit, ut simili tua cultu membra tegantur:
Pulchra tibi curæ non sint, quêis dextra laboris,
Plus dedit artificis; reliquos superantve decore,
Vilia ne temnas, vel quæ detriverit usus;
Materiæ vel sint humilis; potiùsq; subintret
Mentem; deberi tibi nîl præstantiûs unquam.
Pauperies quos sæva premit, sub pectore serva;
Et si sunt, largas in eos effunde crumenas.
Interdum vigilans oculus conclave pererret;
Indagans, aliquid nimium si continet intus.

REFLE-

REFLEXIO
Supra
RECREATIONEM RELIGIOSAM.

NVper ab auditis ad mensam, occasio detur
Dicendis: caveas alienam rodere famam.
Sed neq; contendas adversa refellere dicta:
Non nimis attollas vocem; nec jurgia crescant:
Non vellas temerè sociorum salibus aures;
Religiosa beet dulces concordia lingvas;
Dilectum potiùs sapiant pia verba Tonantem.;
Non nimis in socios defigas lumina vultus;
Contineas tactum; gestus moderare procaces.
Non interrumpas; nec solus multa loquaris;
Det spatium dicendi aliis moderatio prudens.
Abrumpas verbum, mandante silentia pulsu.

DOGMA POMERIDIANVM.
Ex Gratiæ Dictamine, spiritu facta Carnis mortificanda.

I. DIctamen hoc, illis Apostoli verbis continetur: *Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu, facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Rom. 8. Pulchrè S. Aug: serm: 13. de verb: Apost. *Dicebat Epicurus; Mibi frui carne, bonum est. Dicebat Stoicus; Mihi frui bonâ mente, bonum est. Dicebat Apostolus. Mihi autem adhærere DEO, bonum est. Errat Epicurus, fallitur Stoicus. Tunc enim rectè anima vivit, si non secundùm carnem, nec secundùm se ipsam; sed secundùm DEVM vivat.* Et quanam vitâ vivet? humanâne, & caducâ? minimè. Vivet nonnisi cælesti & Divinâ: quia Spiritum DEI habebit, & nonnisi cælestia respirabit,

spirabit arcana; vita enim sine spiritu, & respiratione non est. *Quaeris autem, inquit* S. Bernardus, serm: 72. in cant: *in quo sit ista respiratio? In eo, si incipiat Spiritus vicissim concupiscere adversùs carnem. Huic si repugnas, respiras; si Spiritu facta carnis mortificas, respirasti; si hanc cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifigis, respirasti. Castigo, inquit, corpus meum, & in servitutem redigo; ne fortè, cùm aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor: 9. *Vox est respirantis, imo qui jam respirârat. Vade & tu fac similiter, ut te respirâsse probes.* Hæc Bernardus. Quid igitur beatius, & quid vitalius, quàm Spiritu Dei respirare, & vivere vitâ Christi? Hoc est, quod idem Paulus dixit: *Semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes, ut & vita JESV manifestetur in corporibus nostris:* Vnde monemur: mortificationem Viris verè spiritualibus, ut apprimè necessariam, ita semper esse gratissimam. Quantùm enim distat cælum, à terra; tantùm recedunt cogitationes Servorum Dei, à cogitationibus filiorum Adam; tantùm distant illorum opera, ab operibus istorum, & ab affectibus, affectus. Quod hi timent, illi desiderant; quod hi amant, illi oderunt; quod hi putant vitam, illi mortem; quod hi felicitatem, illi miseriam; quod hi egestatem, illi divitias; Sicut enim contraria sunt illorum facta, & opera, sic opiniones ac judicia, studiaq;.

II. Neq; opus est multis ad hoc ostendendum. Quid magis concupiscunt mundani, quàm voluptates, & delicias? quid magis ægrè ferunt, quàm adversùs cupiditates suas insurgere, conterere passiones, vanos præcidere affectus, naturam vincere, abstinere voluptatibus, reijcere affluentes opes, fugere honores; & ut semel dicam. *Mori huic saeculo, mori rebus omnibus, mori sibi.* Nihil profectò horribilius carnalibus hominibus. At Viri verè Spirituales, nihil optatius, nihil carius habent, & expectant. Hanc avent, hanc concupiscunt mortem, in qua vita, & non qualis qualis, sed vita Christi abscondita est; hæc sunt vota illorum, hæ deliciæ, hæ opulentiæ; mori mundo, & sibi invenire sepulchrum, ut vivi tanquam sepulti sint: quod omnibus divitiis, & thesauris præponunt. Certè S. Greg:

Greg: M. isto servorum DEI Spiritu agebatur, fuitq; in eorum numero, nam, cum os loquatur ex abundantia cordis, de mortificationis desiderio interpretatus illa S. Iob verba: *Qui expectant mortem, & non venit; quasi effodientes thesaurum, gaudentq; vehementer, cum invenerint sepulchrum.* Iob 3 Sic ait. *Desiderant quippe se mortificare funditus atq; ab omni vita gloriæ temporalis extinguere; sed occultis sæpe DEI judiciis, vel præesse in regimine, vel occupari in juratis honoribus compelluntur, atq; inter hac mortificationem plenissimam indesinenter expectant.* Neq; hæc expectatio qualiscunq; est; sed vehemens, & acris, ac simillima avidissimo omnium desiderio divitiarum, tanquam si quærerent thesaurum; neq; aliter exsultant cum majore sui mortificatione, cum sepultura sui; quàm si avarus invenisset amplas opes. *Habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus;* in his scilicet corporibus debilibus, & contemptibilibus; dum ea castigamus, & in servitutem redigimus; uti quidem ex mandato, & exemplo Christi, ex debito & officio nostro debemus.

III. Imprimis enim legem mortificandi affectus, tulit Filius DEI dicens: *Si quis venit post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matt: 16. Justissima est lex militiæ Christianæ, à qua ipse Rex, & Legislator noster Christus noluit esse solutus, eamq; ipso implevit facto. Quodsi igitur humanum exemplum tantas habet vires; quantas habebit Divinum? Exemplum humanum cogit, cur Divinum non suadet? quis videns Filium DEI, & Dominum Gloriæ innocenter verberatum, convitiisq; onustum, non dissimulabit levem adversitatem, quam pro multis peccatis, meritò patitur? Quis, videns altissimum cæli, & terræ Dominum exinanitum, & usq; ad ignominiam Crucis humilitatum, non silebit? cum aliquem honorem, locum, officium, gradum, negatum sibi noverit. Quis, videns Christum Cruce onustum, & postea crucifixum; si aliquem pudorem habet; non dicet cum Apostolo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi?* Quem non ligabit, & urgebit hæc potentissima exempli lex? Quem non trahet post se IESVS, hoc solo, quod

lo, quòd antecedat? Profectò non opus erat verbum aliquod dixisse, nec pronuntiasse justam illam, & consentaneam sententiam: *Si quis venit post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sufficiebat antecessisse IESVM, & hoc solo tenebamur, hoc solo constringendi ac post illum trahendi eramus; quemadmodum ipse Dominus ait: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

IV. Neq; verò ullum certius est amicitiæ nostræ cum Christo durantis argumentum, quàm ejus qui est Rex noster & caput nostrum, crucem ferre. Si enim Iobo supra sterquilinium sedente, testaq; radente saniem, amici eius ibidem consederunt. Si David nudis pedibus ex urbe Hierosolyma egrediente, nullus amicorum, ut suam erga Regem probaret amicitiam, voluit equum ascendere; sed omnes eum comitabantur pedibus: si Ioabo & Arcâ Domini sub papilionibus manente, Vrias noluit in suam divertere domum; quomodo nos non pudebit, sub Cruce Christi militare, & tamen eam horrere ac fugere? quomodo non pudebit, sub spinoso Capite membra esse delicata. Nullum quoq; gloriosius contingere nobis potest exercitium, quàm Christum in ferenda Cruce imitari; qui estò fuisset in anima gloriosus, tamen eam gloriam, quæ connaturaliter redundásset in Corpus, virtute sua Divina coërcuit, ut pro nobis, in passibili mortaliq; corpore, posset indignissima quæq; perpeti; prout de facto perpessus est; Vtq; per hoc, tum sibi tum nobis, perennem gloriam compararet. Quidni & nos gloriabundi exclamemus cum Apostolo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce D. N. IESV Christi.*

V. Idcirco multi Servi DEI, *mortificationẽ IESV Christi in corpore suo circumferentes,* æternũ suis sensibus bellũ indixerunt; multaq; inventa excogitárunt, ut assiduè suos impugnando sensus, seipsos ab ipsis sensibus abstraherent. Devotissimus P. Ioannes Trexus nostræ Societatis, ne à continua mortificatione cessaret, totã buccam, linguam, & palatum abluebat felle, tanquam aquâ rosaceâ, ipsumq; masticabat; ut interdiu amaror ille perduraret. Taceo alios, quorum pleni sunt libri, qui austeram hanc mortifica-

tionis legem, à mitissimo Domino, non magìs verbo, quàm exemplo promulgatam amplexi sunt, ut viri spirituales evaderent.

VI. Si in eo naturæ integræ statu, in quo Adam primitus degebat, constituti essemus, nullâ egeremus carnis & passionum mortificatione: nam ibi corpus subjacebat animæ; passiones & appetitus sensitivi obtemperabant rationi; ratio tandem parebat DEO; ita ut homo contemplans voluntatem ejus, ultro liberè se illi conformaret. Sed quia per primævam Parentum nostrorum culpam, inversa sunt omnia, non minùs fœdè, quàm si membra sursum, deorsum essent locata; ideo si homo vivere velit secundùm rationem; id est, ut homo, quod est unicum ejus bonum, non ut bestia; & multò magìs, si velit vivere Christianè, si Religiosè, neq; in sæcularia desideria relabi; mortificatione uti debet omnino, ut per eam primævæ restituatur felicitati, parendo prout oportet rationi legiq; Divinæ; atq; sic veterem hominem redigendo in servitutem, & cum actibus suis crucifigendo.

VII. *Non habemus hic manentem Civitatem, sed futuram inquirimus*, per anhela scilicet vota, per ima suspiria, per ardentia desideria. Porro nullus Viatorum potest perfectò bonorum cælestium accendi desiderio, nisi fuerit diligens in carne coërcenda, & pravis cupiditatibus refrenandis. Nam sicut Filii Israel in deserto manentes, non priùs cæperunt appetere terram Promissionis, donec fuissent obliti ceparum Ægypti & carnium. ita ei qui cupit appetere æternam felicitatem, postponendæ sunt carnis illecebræ, corporisq; commoditates prorsus contemnendæ. *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris*; ait Sponsa. Quia ut anima instar Virgulæ thuris, desiderio accenso feratur sursum ad cælum; priùs illi in monte myrrhæ ac mortificationis commorandum. Hinc judicio omnium Sapientum, tota hominis mortalem vitam agentis Philosophia consistit, in mortificanda carne, frenandisq; sensualibus ejus appetitibus. Nam homo immortificatus plenus est inquietudine, semper ut mare fervet, semper velut in cribro agitatur. Mortificatus verò in summa degit pace, vita prope cælesti fruitur, hu-

manis

manis rebus evadit Superior, neq; prosperis neq; adversis frangitur: prout ingenti bono suo experti sunt Sancti, qui licet exterius asperã duxerint vitã; intus tamẽ cælesti abundabant solario, quo incitati, ad bona anhelantes cælestia, exclamabant: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

VIII. Atq; hoc illorum ardens ac unicum mortificandi se fuit studium; ideoq; in illorum vitis illud observatum; Nullos panè Sanctos, miraculis & gestorum, rerumq; admirandarum gloria claruisse, nisi illos, qui jejuniis, corporis castigationibus, vitæq; austeritate excelluerunt; tædio etiam & mærore affici solitos, si his carerent. Qualis erat M. Indiarum Apostolus ita de se lib. 1. ep: 1. scribens: *Equidem sic mihi persuadeo, crucis Christi Domini amatores vitam ejusmodi ærumnis exercitam, beatam ducere: crucis autem fugam, aut vacuitatem, mortis instar putare. Mihi credite, nulla crux est cum hac cruce comparanda.* Rursus. *Quàm beatum est vivere, quotidie moriendo; nostrasq; frangendo cupiditates, ut quæramus non quæ nostra sunt, sed quæ IESV Christi.*

IX. Iam verò quali officio ac debito obliget mortificatio Religiosos, ad vivendum & ambulandum Spiritu, consulamus S. Augustinum, & S. Gregorium Nazianz. Primus ille serm: 13. de verb: Domini, ait: *Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frenare, interimere. Hæc est actio nostra, hæc nostra militia. Nobiscum quoq; loquitur S. Petrus dicens: In hoc vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Nimirum, ut sequamur IESVM, abnegantes nosmetipsos, & tollentes crucem nostram. Hoc est non solum officium, sed status noster: desideria sæculi opprimere, jugulare appetitum, trucidare omnem motum naturæ: ad hoc vota emisimus, hæc est nostra professio; nihil hac vocatione sublimiùs, nihil digniùs, nihil honoratiùs, feliciùsve.* S. verò Gregor: Nazianz: in Apol 1. idem Religiosi officium describens, ait. *Nihil mihi fortunatiùs eo homine videbatur, qui clausis, compressisq; corporis sensibus, atq; extra carnem, mundumq; positus, in seq; collectus, nec nisi summa necessitate impellente, quidquam re-*

rum humanarum attingens, atq; secum ipse & cum DEO colloquens, superiorem rebus in aspectum cadentibus vitam agit; Divinasq; species & imagines puras, semper, nec ullis terrenis, & errabundis formis permixtas in se ipso circumfert, ac DEI rerumq; Divinarum purum omnino speculum est, in diesq; efficitur; tum luci lucem, obscuriori videlicet clariorem adjungit, ac jam futuri ævi bono fruitur, & cum Angelis versatur; & licet adhuc in terris agens terram deserit, atq; à spiritu in cælo collocatur.

X. Quodsi commoda mortificationis quæruntur? Hæc una est remedium omnium malorum: mala namq; aut sunt pœnæ, aut culpæ; utrumq; malorum genus mortificati effugiunt, *Soli enim*, ait S. Chrysost: *in tranquillo portu, & securitate summa residentes, velut ex cælo ipso, cæterorum naufragia prospectant. Nam conversationem planè cælestem elegerunt, nihilq; deteriùs Angelis sunt effecti: & quidem tum propter innocentiam cordisq; puritatem, tum propter quandam impassibilitatem, sensuumq;, & affectionum abstractionem, Angeli dici merentur. Vnde enim tristitiæ, unde anxietates, unde affectuum tumultus, unde dolores cordis, nisi ex mortificationis defectu.* Rectè S. Augustinus dixit: *Iussisti Domine, & ita fit, ut animus inordinatus ipse sibi sit pœna.* Quis factus est sibimet ipsi gravis? quis onerosu? quis molestus? quis importunus sibi, & aliis? nisi qui nescit affectibus suis imperare, qui suas cupiditates non coërcet. Hoc satis novit S. Iacobus, cùm c. 4. dixit. *Vnde bella, unde lites, in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris? Concupiscitis, & non habetis, occiditis, & zelatis; non potestis adipisci, & litigatis, belligeratis, & non habetis, propter quod non postulâstis. Petitis, & non accipitis; eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Imprudentia enim & impudentia inde ectibilis, cupiditatum nostrarum sunt tormenta, cruciatusq; nostri: namq; multa concupiscimus; sed quia temerè & stultè; hinc fit, quòd frustratis nostris votis, aduramur, cruciemur, rumpamur, moriamurq; vivendo; imò vitam ipsam morte mortaliorem & miseriorem agamus: Quot timores! quot anxietates! quot mortes quotidie immortificatus! præcipuè in Communitate religiosa, ubi difficillimum

est vivere

est, vivere secundùm desideria sæcularia, patitur? At quàm prosperè mortificatus, quàm placidè, quàm tranquillè procedit cum omnia videat suum juvare propositum. *De malis culpæ, non est* opus dicere; cùm luce clariùs sit, omnes defectus omniaq; peccata ex defectu mortificationis oriri. Caro enim nostra, nisi freno rectæ rationis gubernetur, est seminarium omnium vitiorum; cum sit persimilis Puellæ illi à Petrarcha descriptæ; Quæ cum mulæ insidens, iter cum pedissequa faceret, & densam offendisset sylvam, in qua duæ se aperiebant viæ, una latronibus infesta; altera non item; nullum super hoc a peritis exquirens consilium, frenum suæ mulæ in ejus collum abjecit, ut illa, quàm vellet, viam eligeret: quæ ipsam rectà in manus latronum invexit, miserè ab illis spoliandam, & omnibus afficiendam injuriis. Ita planè illi videntur agere, qui in sectanda vitæ ratione, dum carni consulere nimiùm volunt, ejusq; concupiscentiis frena laxant & commoditatibus per omnia indulgent, multis interim peccatorũ occasionibus, & laqueis miserè sese induunt; atq; ita ruunt in exitiũ.

XI. Sed sicut defectus mortificationis est fons omnium defectuum: ita usus illius, est Spongia, fœdas peccatorum maculas abstergens. Audi S. Gregorium dicentem: *Cogitandum summopere est, ut, qui se illicita meminit perpetrâsse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc satisfaciat Conditori.* Intuere Davidem acri jejunio peccata sua castigantem, & sic DEO satisfacientem. Vide Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Guilhelmum, Theophilum, & innumera Sanctorum Pænitentium agmina, severis ac diuturnis pœnis in se animadvertentia, ut hanc veritatem agnoscas. Noverant enim hi Sancti, DEUM omnia nostra peccata, vel in præsente vel in futuro punire, nisi nos ipsi ea in præsenti puniamus; unde malebant ea temporaneis hujus vitæ, quàm æternis, aut piacularibus ignis purgatorii castigari suppliciis.

XII. Verùm carnis per Spiritum mortificatio, non solùm est remedium omnium malorum; sed insuper dici potest cunctorum cornucopia bonorum; non solùm enim tollit omnia mala,

sed

sed etiam largitur cuncta bona, estq; medium salutis præcipuum. Egregiè Euseb: Nieremb. de ador: l. 2. c. 9. *Via Salvationis rectè dicitur via perditionis: perde & signa sensus cum cruce Christi, & salvi erunt: esto cæcus, & erue oculos tuos; sic videbis bene: esto surdus; sic audies bene: esto mutus; sic bene loqueris: esto jejunus, sic bene gustabis: esto sine manibus & negotiis, sic bene operaberis, esto tibi odiosus, sic bene amabis: esto mortuus mundo, sic bene vives: esto timidus, sic securus eris: esto tibi vilis, sic honoraberis; esto laboriosus, sic eris in quiete: sustine omne malum, sic habebis omne bonum, quod est in cruce.* Neq; mirum; studio mortificationis tantam inesse vim, ad impetranda nobis apud DEUM cuncta bona; cum illi, sit sacrificii instar acceptissimum; ita ut gratius DEO accidat, unum florem, studio placendi sibi non odorari, vel unum craterem aquæ in conspectu illius effundere, ac offerre, prout fecit Rex David; quàm mortuum suscitare. Amorem namq; mortificationis, & Crucis, Christus nobis, tanquam rem maximè sibi amabilem ultimo testamento legavit: *Author pietatis*, inquit S. Ambrosius Serm: de Passi D. *in Cruce pendens, Testamentum condidit, singulis Pietatis opera distribuens; Apostolis persecutionem, Iudæis Corpus, Patri spiritum, Virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis verè pænitentibus Crucem commendavit.* Hinc audet Apostolus dicere: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis.* Hæc autem quæ diximus, intelligenda de mortificatione perfecta & integra. Nam sicut non dicitur mortuus, qui sensu aliquo privatur, aut actione, vel motu aliquo caret; sed qui prorsus omnibus membris mortuus est, & omni sensatione, vitæq; motu spoliatur: ita pariter mortificatio non debet esse partialis; in hoc duntaxat affectu, & non in alio; in hac tantùm actione, & non in cæteris; in hac solùm voluptate, & non in reliquis; sed in omnibus rebus. Quod à nobis exigere videtur Regula 12. Summam jubens, quærere in Domino majorem nostri abnegationem, & continuam, in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.

MEDI-

MEDITATIO III.

De Passione CHRISTI Domini, & Paupertate ejus.

Prælud: Imaginare, vel certè in aliqua imagine repræsentatum statue ante oculos Christum in horto orantem, ad columnam flagellatum, spinis coronatum in Cruce clavis confixum pendentem, inter crudelissimos dolores & ignominias morientem, de Cruce depositum, sepultum &c.

Prælud. Pete ab eodem, ut suos dolores, ignominias & vulnera profundè imprimat cordi tuo, ut inspicias eum, cum amorosa compassione; & facias secundùm exemplar.

PUNCTUM I. Rex noster CHRISTUS, contra Primum salutis nostræ Hostem, nimirum contra Inordinatum appetitum divitiarum, pugnavit per extremam Paupertatem, & Defectum omnium rerum, vivendi commoditati deservientium. Hæc autem Paupertas toto quidem ipsius vitæ tempore, insignis in illo fuit: Nam imprimis in Nativitate, ad obscurum angulum pauperrimi stabuli declinat, Pauperem habet Matrem pauperrimis pannis involvitur, lectisternia ejus fænum & stramen, in quibus jumenta jacere solent; tota ejus commoditas à paupere fabro, & inope Matre exhibetur. Deinde in progressu ætatis, pauper fuit quo ad omnia, fugiendo in Ægyptum, pauper manendo in Ægypto, pauper redux ab Ægypto, pauper duodennis factus, ita ut deberet ostiatim eleemosynam petere, eàq; victitare, Pauper cum Iosepho artem fabrilem exercens, & labore manuum, victum sibi suæq; Matri elaborans. Perlustra deinde alia loca, in quibus, opus nostræ redemptionis peragens, degebat. Videbis illum pedibus iter conficere, nunc pernoctare in montibus, nunc in desertum secedere, destitutum temporalibus subsidijs, quo ad victum, vestitum, habitationem; nunc fatigatum sedere supra fontem; & ubiq; tanquam Pauperem & mendicum, vel omni hospitio excludi, vel

aliena domo recipi, ac oblatis eleemosynis, suam, suorumq; vitam sustentare; ita, ut meritò de se dixerit: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis, non habet ubi caput reclinet.* En quò se redigere voluit Cœli ac terræ Dominus, idq; nostri causâ. ut ait Apostolus. *cum esset dives propter nos egenus factus est.* Et adeo egenus, ut *ne quidem haberet ubi caput reclinaret.*

II. Tanta fuit Paupertas, Filij DEI, tempore ipsius Passionis, ut major esse non potuerit. Cum enim summa paupertatis humanæ perfectio, in eo consistat, ut *habendo duntaxat alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*; ille ulterius eam perfecit; neq; id habendo, quo sitim ardentissimam levaret, in mortis agonia, præter acetum felle mixtum; neq; id quo suo sua nuditas tegeretur; neq; vilem aliquem lectum, præter horridam & molestam trabem, in qua moreretur; nec denique angulum unum, in quo caput vulneratum & cruentatum reclinaret. Cum item ita sit, ut qui moritur jus habeat ad aliquod sui cadaveris operimentum & sepulchrum, in quo condatur. similiter ad disponendum proprio arbitrio de rebus, quas habet: vel his etiam Dominus noster caruit; si quidem fuit involutus Sindone, per modum eleëmosynæ data. Sepultus in alieno sepulchro; nec de vestibus, quibus utebatur, & quas solas habebat disponere pro suo arbitrio potuit; sed eis spoliatus, vidit ipsas inter milites, pro eorum beneplacito dividi. O in omnibus & super omnes ditissime! O in omnibus & super omnes Pauperrime! quô processit tua Paupertas? Quis illam dignè non modò eloqui, sed etiam concipere posset? Quis rubor si detrectet imitari.

III. Hæc Filij DEI paupertas non fuit fortuita, aut ex necessitate, tum sua, tum Parentum suorum; sed ab æterno à Domino Deo præordinata & tempore determinato mandata executioni. DEVS ita positivè voluit ut Filius ejus nasceretur pauperrimo loco, ex pauperrimis Parentibus, pauperibus fasciis involveretur; ut deinde tota vita sua pauperrimè viveret, ac vitam in paupertate summa concluderet, Ipse quoq;

CHRI-

CHRISTUS Filius DEI, voluntariè ac liberrimè Paupertatem suscepit. hæc prima fuit ejus virtus, quam in primordijs vitæ Mundo manifestavit, & toto deinde vitæ suæ cursu, in ea sese exercuit. At quo fine? eo, ut immoderatam cupiditatem divitiarum restingveret in nobis; ut ostenderet excellentiam Paupertatis, ad eamq; exemplo suo homines accenderet. Gaudete Pauperes in spiritu & re ipsa, en habetis exemplum Filium DEI. Gaudete afflicti homines, in vestris ærumnis, penurijs, in omnibus molestijs, ac difficultatibus vestris. Non primi vos estis, qui talia sustinetis. Respicite ad Authorem vitæ & salutis vestræ IESVM; nullus ex vobis, in tanta rerum affluentia fuit vel esse potuit, atq; ille. Nullus ex vobis, in tantam egestatem devenit atq; ille. Nihil in Orbe, fortuitò aut casu evenit; sed omnia ex decreto & arbitrio DEI. Reflectas te, quomodo tu in hac virtute Filium DEI imiteris? quomodo defectus rerum commoditati servientium toleras? an multa superflua, & quæ aliorum quoq; usibus possent impendi, non habeas? an ipse ultro quæras occasiones exercendæ hujus virtutis! an sponte tibi, non solùm utilia sed etiam necessaria ob amorem Christi pauperrimi subtrahis? Videndo autem te longè à Christi vestigijs dissitum; erubesce, dole, exardesce, propone in particulari emendationem.

Colloquium fiat cum Sanctis, qui in mundo viventes, Christum in Paupertate sunt imitati, & ita se ob amorem ipsius, omnibus rebus denudarunt, ut nihil proprium habuerint; atq; ad nullam rem, corde & affectu nimium adhæserint. quatenus tibi apud DEVM impetrent, similem affectum Paupertatis, ut effectus ejus libenter experiaris, & in ea usq, ad mortem hilaris persevere. Accendere eorum exemplo, ad similia facinora; siquidem & illi, non fuerunt alterius naturæ à nostra; nec habuerunt alterum à nostro DEVM, qui semper est idem, in sua gratia conferenda liberalissimus.

DIES NONA

Dedicanda SS. Confessoribus, ut Alexio, Casimiro, Francisco Seraphico, Francisco Borgiæ, Stanislao Kostka, &c. In gratiarum actionem pro omnibus doctrinis Evangelicis; pro Exemplis Christi, & Sanctorum Confessorum; insuper pro gratiis habitualibus, & actualibus. In satisfactionem pro inobedientia, inspirationibus, præceptisq; Divinis; Ad impetrandam veram Contritionem in usu Sacramentorum, & in articulo mortis.

MEDITATIO I.

De Mortificatione CHRISTI & Castitate.

Præludia ut ante.

PUNCTUM I. Idem Rex noster Christus, contra secundum humanæ salutis hostem; nimirum contra Inordinatum Appetitū deliciarum & commoditatum, pugnavit continua Mortificatione & Patientia. Quæ imprimis eluxit ejus vitæ primordiis; nam estò esset Infans, tamen quiá fuit perfectá ratione præditus, sensit in suo infantili corpore molestias à frigore, à duro stramine & fæno, à fætore stabuli, in quo fuit natus, à circumcisione. Deinde in pueritia, sensit & pertulit molestias ab asperis itineribus, quæ suscipiebat tum in Ægyptum; tum ex Æpypto; singulariùs ad trigesimum annum in Ierusalem; à fame & siti, ab ardore solis, à frigida hyeme &c. Tum in progressu ætatis gravem sensit molestiam, à laboribus duris & gravibus, quos subibat exercendo opificium fabrile. Nam propterea elegit tale opificium, quia fuit grave, molestum, laboriosum. hinc debuit, in illo multa sustinere dura & aspera; ut, humeris portare trabes, securi scindere ligna, dolare, terebrare, serâ findere &c. Tandem in extremo ætatis virilis,

virilis, quot molestias pertulit, à longissimis & continuis itineribus quæ pedes conficiebat? ab ardore solis, à frigore, à fame & siti, à continuis concionibus & vociferacionibus, à sudore, ab iisdem vestimentis, à duritia terræ in qua jacere solebat, ab insomniis? &c. Verbo: Tota Christi vita fuit continua sensuum mortificatio, & Corporis afflictio. Quod quamvis connaturaliter debuerat esse impassibile; eò quòd fuisset unitum cum Anima, habente visionem beatificam: tamen ista impassibilitas fuit impedita, ne in ejus corpus redundaret; sed loco ipsius, adscita fuit Passibilitas: & hæc fuit in continuo exercitio, facto per sensus exteriores; ab objectis variis, molestis, & asperitatem continentibus, in eosdem sensus incurrentibus.

II. Contra eundem hostem, Christus pugnavit ulterius? Per dolores acerbissimos, quos tempore Passionis pertulit. Percurre locos, in quibus est passus, & expende, qnid in singulis pertulerit. In horto, illas anxietates interiores, cum tædio, cum sudore sangvineo, cum pavore usq; ad agoniam. Illam comprehensionem, & in ea tot percussiones pugnis, calcibus, fustibus, sudibus. Illas manuum post terga revinctiones, colli per catenam onerationes, &c. In via ad Annam & Caipham, illas violentas tractiones! pedum ad saxa allisiones! percussiones. In domo Pontificum, illas alapas! colaphos! tunsiones! fætores. Apud Pilatum illam horrendam flagellationem, spinarum coronationem, arundine percussionem. In via ad Calvariam, illam atrocem bajulationem Crucis prægrandis! illam humerorum vulnerationem, tractiones! stimulationes; percussiones! arduum ascensum. In ipsa Calvaria, illam atrocem Coronæ depositionem & impositionem, illam clavis crucifixionem, illam pendentiam corporis, amaritudinem fellis, illos conflictus cum doloribus durantes tribus horis &c. Percurre deinde omnia corporis Christi membra, & invenies meritò à Propheta esse dictum: Quòd: *à planta pedis usq; ad verticem capitis non erat in eo sanitas.* Et, quòd visus sit plagatus totus, quasi *leprosus & percussus à DEO*, ita,

ut *speciem*

ut speciem, decorem, affectumq; amiserit, nec fuisset omninò agnitus. Nam Caput erat spinis undiq; perforatum & cruentatum; Capilli Capitis & barbæ evulsi; Genæ colaphis denigratæ; Os sitibundum lingva à contactu fellis amara; Humeri à pondere crucis contusi, & durè lento vulnere sauciati; Pectoris ossa loco sejuncta præ nimia distensione, tum in ipsa actuali crucifixione, tum in pendentia molis corporeæ ex illa trabe. Scapulæ & reliquæ corporis partes flagellis ita laceratæ, ut, sex millia plagarum cruentatum possent in eis numerari. Brachia & crura, adeo distenta, ut membra omnia corporis possent dinumerari. Venæ omnes exangves, & omni vitali destitutæ vigore. Manus & pedes clavis terebrati, è quibus pendens totum corpus, per suamet vulnera, continuò illa magis & magis aperiebat pondere suo. Cor etiam totum lanceâ transverberatum. Totus deniq; Christus ita erat doloribus & afflictionibus repletus, ut præ vulneribus lentis, animam violentissimè efflaverit. O DEUS necessariò impassibilis! o homo voluntariè passibilis, quam longè à tua imitatione currit, qui post suas delectationes, atq; delicias currit. & quamvis illas desereret, atq; molestias nescio quas pateretur, quàm longè adhuc à te dissitus esset.

III. Non eguit Christus hujus virtutis subsidio; tum ad satisfaciendum pro suis delictis; quia illa nulla prorsus habuit; utpote sanctissimus ac innocentissimus, imo ipsa substantialis Sanctitas ac innocentia. tum ad illa in seipso præcavenda ac evitanda; siquidem omnes animæ suæ facultates, omnes corporis sensus, & motus habuit optimè compositos, ac rationi voluntatiq; Divinæ, perfectissimè subjectos. Solùm ergo nostri causâ virtutem istam affectari voluit. Partim ut nobis merita, satisfactionesq; suas copiosiùs applicaret, in ordine ad promovendas gratias actuales liberaliores. Partim ut nos exemplo suo ad praxim hujus virtutis, adeo nobis necessariæ provocaret; & doceret, illam esse medium unicè conducens, ad castitatem, humilitatem, obedientiam, mansuetudinem &c. Expende, quisnam in hujus virtutis exercitio, magis tenetur

imitari

imitari Christum; quàm is, qui ratione suæ vocationis debet corpus suum exhibere *hostiam viventem, Sanctam, DEO placentem*; & adimplere in carne sua, ea, quæ desunt passionibus Christi. Vide igitur, an talem hactenus te exhibueris aut saltem exhibere velis? an ex illo sacro calice, quem Christus tui causâ, sub tempus suæ Passionis hausit, tibiq; propinavit, exiguam aliquam guttulam libenter degustes. Heu quamcunq; assumpseris mortificationem; nusquam vel minimam partem persenties, aculeorum & dolorum illorum, quos tui causa Christus in vita & morte sua pertulit. Ergo saltem quando ex una parte agetur, de vitando aliquo peccato, seu levi, seu gravi; aut certè de aliquo bono opere exequendo, quod acceptum DEO esse creditur; ex altera verò parte, de amittenda aliqua commoditate, oblectatione, utilitate &c. tu resolvas te, ad hoc sentiendum, ut potiùs, non solùm perferas libenter & gaudenter, quamcunq; molestiam ac tædium; sed etiam ultro te ingeras in hujusmodi occasiones, tum ut saltem, ex parte satisfacias justitiæ Divinæ, pro tuis & aliorum peccatis: tum ut tibi à DEO impetres opportuna gratiarum auxilia, ad evitanda peccata, & conservandum te in servitio DEI; tum ut Christo, Domino tuo efficiaris magis similis, & inter Discipulos ejus, qui carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis suis, dignus sis recenseri.

Colloquium fiat cum Sanctis, qui hac virtute subnixi, imprimis ad fastigium perfectionis, deinde ad culmen gloriæ conscenderunt: quales fuerunt non solùm viri fortes, sed etiam mulieres infirmæ, teneræq; Virgines, quæ elegerunt potiùs, cum Salvatore suo affligi, *& mortificationem ejus in suo corpore circumferre*, quàm mortiferam sæculi hujus degustare jucunditatem. Si igitur potuerunt hi & hæ, cur tu non poteris, modò velis. Erubesce, dole de tua ignavia; resolve te ad aspera quæq;. Auxilium DEI implora, per Sanctorum istorum merita & intercessionem.

Anima Christi sanctifica me &c.

Ejacula-

Ejaculatoriæ per diem usurpandæ.

I. Eamus & nos, & moriamur cum illo.

II. Christo confixus sum Cruci. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri IESV Christi.

III. IESVS Amor meus Crucifixus est.

DOGMA MATVTINVM.

Gratiæ Ductu, Veris & solidis virtutibus insistendum.

I. NOtissimum est: Virtutes alias esse Veras, alias Falsas. Rursus Virtutes Veras, alias esse Non Solidas & imperfectas; alias verò Solidas, & Perfectas. Infans est verus homo, non pictus; nondum tamen perfectus est homo; crescere illi opus est, ut perfectus & solidus evadat. Agnus quoq; verum animal est, non simulachrum animalis, ejusdem quidem naturæ cum ariete; nondum tamen perfectus aries. Ita etiam, sunt aliquæ virtutes pictæ, & apparentes; aliæ sunt veræ; nondum tamen perfectæ, sed pueriles, & teneræ. Sunt deniq; aliæ perfectæ, solidæ, & adultæ. Nos si inanes & fictas excludamus, non satis est: oportet, ut postquam nostræ virtutes veræ fuerint, sint insuper solidæ, consummatæ, cum debito incremento, & perfectione.

II. Vt distinctiùs procedamus, præmittendum est: Quæ sint Virtutes Apparentes quæ autem re ipsa Veræ, ac tandem quæ Solidæ? Illud primum scire magnopere convenit; ne, dum aliqua lucratos nos esse putamus merita, nonnisi vera vitia commissa reperiamus. Et magnâ quidem ignorantiâ in discernendis Vitiis à Virtutibus, etiam ii, qui spirituales sunt, laborare solent, ita ut S. Laurentius Iustin: de casto connub: c. 17. dicat: *Nullus autem invenitur, qui hac careat ignorantiâ. Hinc est, quòd Propheta ait: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. O quàm sæpe! virtus putatur vitium! & vitium, virtus.* Nam ira, zelus; præsumptio, authoritas; libidinosa voluptas, fraternus

fraternus amor; gula, discretio; remissio, humilitas; acedia, compunctio; rancor, justitia; avaritia, prudentia; insensibilitas, fortitudo; rectitudo, crudelitas; malitia, sapientia; mansuetudo, timiditas; audacia, libertas; liberalitas, prodigalitas; inepta lætitia, jucunditas; vanitas, charitas; pusillanimitas, mititas nuncupatur. Sunt millia hujusmodi, quorum ignorantiâ plenum est humanum genus. Ipsi etiam justi, qui per gratiam adoptionis, Filii DEI nuncupantur, sunt hac multifariam involuti ignorantiâ, non damnabili, & perniciosa, sed tolerabili, ac laboriosa. Hæc ille.

III. Non paucis id exemplis confirmatum videmus in S. Pagina. Absalonis omnes laudabant charitatem, humanitatem, & zelum justitiæ erga Israelitas, cum adirent Tribunal Patris sui David: at non virtutes illæ erant, sed vitia; non zelus justitiæ, sed tyrannis; non charitas, sed ambitio; non humanitas, sed palliata erga optimum Patrem, cujus regno inhiabat, impietas: ita, ut, quantumvis cæteri actiones Absalonis putarent virtutes; ipse tamen nosset intentionem suam, suaq; ipsius conscientia, dictaret sibi, non esse illas virtutes, sed vitia simulata.

IV. Sunt autem aliæ actiones, quæ contrarium prorsus habent; quas ipse qui eas operatur, virtutes existimat; aliis tamen peccata videntur: quale fuit sacrificium Saulis; quod ipse Saul judicabat esse virtutem Religionis; Samuel autem & qui bene sentiebant, nonnisi Superstitionem; ad minùs, Inobedientiam censebant. Aliæ porro actiones deteriores sunt, quæ scilicet operanti, virtutes videntur; & id ipsum aliis hominibus ut plurimùm apparet; re tamen ipsâ, & coram DEO, vitia sunt. Hujus generis fuit, illa clementia, & importuna Regis Achab benignitas, dum victo Rege Syriæ Bennadad, vitam donans, prostratum, ac humilem, poscentemq; veniam, benignè accepit. Ipse Achab videbatur sibi magnanimiter, & planè Regiè fecisse; id ipsum judicarent cæteri; nisi Divino oraculo, & supplicio constaret; in ea clementia, perversam latuisse injustitiam. Narrant Collationes Patrum de Joanne Abbate, viro alioquin solidæ virtutis, quòd biduò arctè jeju-

naverit. Cum verò tertiâ tandem die ad refectionem accederet, dæmon ei in specie Æthiopis apparens, ad ejus genua provolutus, dixit: *Ignosce, quæso, quia ego tibi hunc laborem indixi.* Intellexit ergo vir ille tantus, sub colore continentiæ incongruenter exercitæ, se fuisse calliditate diaboli circumventum, taliq; distentum jejunio, quod majori bono ponebat obicem; quia corpori fatigato, debilitatem inducendo, Spiritum quoq, languidum, & ad munia sua ritè obeunda ineptum reddebat. Videbatur sibi hic S. Abbas ita rectè egisse, ut qui primâ fronte rem inspexisset, suspexisset tantam viri abstinentiam; cum interim aliunde constitit, spiritum discretionis ac rectitudinis ibi defuisse,

V. Verùm jam videamus, unde hoc proveniat: Quasdam Virtutes esse Fictas; Quasdam Veras? Ex duplici capite hoc contingere solet; aut ex defectu intentionis, aut discretionis. Bona quidem primùm intentio est, quæ coronat virtutes, & gratas DEO facit, nihilq; sine illa acceptum possumus offerre Domino; qui per Malachiam Proph; quærit, & queritur. *Quis est; ex vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito: non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra.* De intentione in virtutum actibus S. Augustinus l. 4. contra Iulian: ait: *Noveris non officiis, sed finibus, à vitiis discerni virtutes: officium est autem, quod faciendum est; finis verò propter quod faciendum. Cùm itaq; facit homo aliquid: ubi peccare non videtur; si non propter hoc facit, propter quod facere debet peccare convincitur.* Altera causa est, defectus discretionis, qui reddit virtutes falsas. Ideo S. Greg: l. 1. Mor: c. 24. ait: *Nisi virtutes reliquæ, sapientiæ epulis repletæ, ea quæ appetunt, prudenter agant; virtutes esse nequaquam possunt. Nam quemadmodum prudens virtutibus modum imponit, ne fiant vitia: ita è contrario, imprudenti si adsit timor, transit in desperationem; si dolor, in amaritudinem; si amor, in adulationem; si spes, in præsumptionem; si lætitia, in dissolutionem; si zelus, in furorem.* Quare à Sancto Antonio, Cassiano, aliisq; Patribus, præfata Discretionis, seu Prudentiæ virtus, vocatur Fons, Radix, Custos, Moderatrixq, omnium virtutum; cujus li-

neam, tenere, quamvis valde arduum sit, & nisi de cælo doceamur, optimaq; id mereamur vita, difficilè observabitur: Media tamen quæ S. Greg: l. 1. moral: tradit, ad discernendas veras, à falsis virtutibus, adhibenda; uti sunt Oratio & mortificatio. Maximè quoq; juvabit, non fidere proprio judicio, ubi spirituales, & viri verè Sancti, consuli possunt; nam facilè nos proprius amor, obcæcare, & à recto virtutis tramite abductos, in transversum agere ac pervertere potest.

VI. Verùm non satis est, virtutes legitimas, & veras consequi; oportet quoq; ut solidæ & perfectæ sint, viriles & robustæ, constantesq; in bono. Etenim, multi sunt præditi, veris virtutibus, rectam intentionem habentes, & prudentem in usu earum discretionem; nihilominus, in bono firmi non sunt, aut deficiunt prorsus, ubi difficile aliquid occurrit; aut ordinaria, & facilia solùm executi opera, ea quæ majoris momenti sunt, dum arduum aliquid vident, non audent aggredi. Nimirum, quia, licet virtus eorum legitima, & vera sit, parvula tamen est; & exiguarum virium; ac, donec adolescat, perficiaturq; non habet constantiæ robur, & solidam suam perfectionem, ad quam debet pervenire. Habent siquidem virtutes, suos gradus, & incrementa; non aliter, quàm infans, usq; ad ætatem virilem perficiendus, & plantæ, usq; ad maturitatem fructuum increscentes. Vnde S. Greg: hom: 15. in Ezech: ait: *Cùm desideria bona concipimus, herba sumus: cumq; in ejusdem operationis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. Herba enim Petrus fuerat, qui passionis tempore, per amorem, Dominum sequens, hunc confiteri ante ancillæ vocem timebat. Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium Redemptorem; sed valde adhuc flexibilis, pede conculcabatur timoris, Iam in spicam surrexerat, quando eum, quem moriturum confiteri timuerat, nunciante Angelo, in Galilea viventem videbat. Sed ad plenum granum in spica pervenerat, quando veniente desuper spiritu & suam mentem, in illius amore roborante; ita solidatus est, ut vires persequentium, cæsus despiceret, & Redemptorem suum liberè inter flagella prædicaret.*

VII. Ad hoc autem virtutis robur, solidamq; perfecti-

onem ut perveniatur; necesse primùm est, omnibus præditum esse virtutibus. Hoc enim pertinere ad soliditatem, & perfectionem virtutum, idem Greg: l. 22. moral: c. 1, sic docuit: *Vna itaq; virtus, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Vt enim sicut quibusdam visum est, de primis 4. virtutibus loquar: prudentia, temperantia, fortitudo, atq; justitia, tantò perfectæ sunt singulæ, quantò vicissim sibimet conjunctæ. Disjunctæ autem, perfectæ esse nequaquam possunt: quia, nec prudentia vera est, quæ justa, temperans, & fortis non est. nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa, & prudens, non est; nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & justa non est; nec vera justitia, quæ prudens, fortis, & temperans non est.* Tunc igitur solidas, & perfectas robustasq; habebimus virtutes; cum non unam, vel alteram solùm, non aliquas duntaxat, sed omnes possidebimus. Tunc quippe virtutes constantes sunt, & solidæ, ac viriles. Ratio est; quia cùm occurrit alicujus virtutis exercitium, cujus materia impedita, aut ardua sit; quia conjungitur, cum alterius virtutis materia: nisi hanc virtutem habeamus, quæ tali dominatur materiæ, alteram, quæ ab hac dependet, facilè exercere nequibimus. Quare nulla est satis perfecta, solida, & robusta virtus, nisi cum reliquis omnibus: unus quippe alterve digitus non sufficit ad sustinendam molem, nisi omnium adminiculum digitorum concurrat. Deinde, sicut solidum aurum, aut argentum dici nequit, rudis, quæ è minis extrahitur gleba, ubi metallum cum terra mixtum est: sic, solidæ virtutis nomen non meretur, ubi vitia aliqua admiscentur. Obstetrices Hæbreorum misericordiam exercentes, dum mendacium admiscuerant, sicut soliditate virtutis, se ostenderunt caruisse; sic & plenâ virtuosi operis remuneratione caruerunt; ut de illis dicat S. Greg: l. 18. moral: *Benignitatis obstetricum merces, quæ eis potuit in æterna vita retribui, pro admissa culpa mendacii, in terrenam recompensationem declinata est.* Adeò refert, non miscere defectus Sanctis operibus; & omnium virtutum satellitio stipari, atq; obstare culpis, ne bonorum operum gloriam evacuent; & ne muscæ involantes, pretiosi fragrantiam olei corrumpant.

VIII. Ex

VIII. Ex his omnibus concludendum est: tum, ut Veras virtutes habeamus; tum ut Solidas comparemus; humilitati, & mortificationi, præcipuam dari operam, expedire. Nam, ut rectam intentionem habeamus, cujus defectu omnis virtus, falsa, & inanis redditur; quid opportunius, quam humilitas esse potest, per quam nunquam nos, nunquam honorem nostrum, sed Divinum curabimus. Deinde, cùm humilitati adjungitur mortificatio; unde poterit patere aditus, sinistræ, & impuræ intentioni? nec enim verè mortificatus, quærit commoda sua, nec aliquam prætendit voluptatem. Insuper discretionem, mediumq; virtutum attingent, ac servabunt, humilitas, & mortifiatio, ut cæteras virtutes, in sua puritate ac veritate retineant. Cum enim excedere medium virtutis, & sanctum, ac rationabilem ejus modum non servare, inde fiat; quòd aut judicium proprium, aut proprius amor, nos decipiant; sed, adversùs judicium proprium, quod semper aliquâ superbiæ labe corrumpitur, humilitas pugnat; amoris autem proprii antidotum est mortificatio. Neq; solùm ad Veritatem virtutum, sed etiam ad Soliditatem, earumq; perfectionem, istæ duæ sorores, humilitas, & mortificatio, maximam ferent opem. Nam si virtutum Soliditas, & Perfectio, tunc est, cùm non unam, vel aliquas, sed omnes simul possidemus virtutes; quid magìs ad hoc juvare potest, quàm humilitas; quæ propterea dicitur, omnium virtutum fundamentum, radix, & nexus.

IX, Deinde Mortificatio, quā sibi justus vim infert; quia propriam contundit voluntatem, & omnes devios proterit appetitus, ordinatosq; coërcet affectus, hanc maximè complanabit viam, ad omnium virtutum exercitium? Nam cum virtutum materia, aliquam difficultatem habeat, quæ debet superari; ille, earum exercitium, ægrè feret, & sæpe relinquet, qui nescit sibi vim incutere, & dominari. Cùm autem mortificati officium sit, hæc victoria sui: promptus per illam & expeditus redditur, ad cæteras comparandas, exercendasq; virtutes.

X. Insu-

X. Insuper ad hæc omnia plurimùm conducet, non re. missa & torpens, sed intensa & accurata, circa functiones no. stras agendas consideratio, sedulaq; attentio. Nam juxta A. ristotelem, duo ad bonam actionem, tanquam fundamenta, requiruntur. 1. Vt fiat à Cognoscente. 2. Vt ad bonum finem dirigatur; cæterisq; debitis vestiatur circumstantiis, quod facilè non obtinebit, qui in Agendo præcipitat, & neq; considera. tioni, neq; attentioni locum præbet. Imitandi proinde illi, qui ad scopum jaciunt sagittas; hi enim priùs hærent, tum metam a. spiciunt, tum collimant, tandem emittunt ac expediunt jaculum ad metam. Quàm multæ actiones, ob neglectum duplicis hu. jus conditionis, exigui apud DEUM pretii, ac in se debiles evadũt, miserisq; illudunt mortalibus? Cum tamen, sicut una aliqua gem. ma, pluribus obolis longè præstat, & sicut unus robustus ac stre. nuus miles, multis infirmis ac timidis est præferendus; ita una excellens actio, multis imperfectis meritò sit anteponenda. Quod egregiè S. P. Ignatius advertit, qui in Epistola, quâ nostros ad per. fectionẽ hortatur, eos ad maximâ in operibus etiã bonis excitat attentionem: tum quia, non sufficit opera per se bona facere, sed oportet ea benefacere: tũ quia, rarũ aliquod & eximiũ facinus, sexcentis vulgaribus minutisq; antecellit: & exiguo tempore eum virtutis gradũ, homo strenuus & fervens assequitur, quò piger multis annis non potest adrepere. Sed & R. P. Claudius Aquavi. va, rem valde deflendam esse ait, si in iis, qui studium Virtutis profitentur, è centum actionibus, quibus per diem occupantur, nonaginta novem, defectu attentionis & fervoris, ea perfecti. one careant, quam alioquin, si diligentia solertiaq; adesset, possent adipisci, maximo suo fructu. Narrat Cæsarius lib: 11, c. 11 Gosbertum quendam è Cisterciensi Familiâ Conver. sum, ab Angelis ad B. Virginem, quàm devotè coluerat de. ductum, & ad pedes ejus residentem, cum illic mirâ jucundi. tate frueretur, jussum esse remeare ad Corpus: post tres dies ad eadem gaudia rediturum; uti evenit. Interea temporis ad. stantes ita est allocutus: *Vos Domini, numeratis annos Conversionis vestræ, alius quadraginta, alius triginta, alius decem. ego verò vobis*

dico,

dico, beatum illum esse, qui bene uno anno, vel mense, vel quod minus est, unâ hebdomadâ, juxta suæ Professionis regulam, exactè est conversatus. En, quanti coram DEO momenti est, ductu ejus Gratiæ veris ac solidis insistere studereq; virtutibus! quæ in Statera DEI appensæ, quamvis alioquin paucæ, & quò ad externam speciem informes, præponderant innumeris splendidisq; actionibus; solæq; ab æquissimo rerum æstimatore ac remuneratore DEO præmium accipiunt.

MEDITATIO II.

De Humillima Obedientia Christi.

Præludia ut ante.

PUNCTUM I. Christus Rex noster, contra tertium salutis nostræ Hostem, nimirum, contra Inordinatum Honorum, propriæq; Æstimationis & Excellentiæ Appetitum, pugnavit humili Obedientia. Hanc ille virtutem coluit à primo Conceptionis instanti, usq; ad mortem; ut loquitur Apostolus. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem. mortem autem Crucis.* Tripliciter autem illam exercuit. 1. Erga DEUM Patrem, quem cum tanta demissione ac reverentia alloquebatur, ut *pro ipsa sua reverentia exaudiri meruerit.* Plerumq; enim prostratus in faciem orabat, aut cum tanta corporis compositione, & interiori humiliatione, ut major cogitari non possit. 2. Erga suos Parentes, jussa illorum reverenter & hilariter exequendo; idq; non uno alterove anno, sed 30. integris annis; non in levibus tantùm, sed etiam in gravibus ac duris laboribus. ut domestica munia obeundo, artem fabrilem exercendo: quod expressit paucis Evangelista inquiens: *Et erat subditus illis.* 3. Erga quoscunq; alios, ut erga Apostolos, in omni occasione, se, tanquam ministrum eis exhibendo. *Ecce ego in medio vestri sum, sicut qui ministrat:* quod maximè præstitit in ultima cæna, eorum pedes lavando. Unde illos ad praxim hujus virtutis invitavit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis*

milis corde. Et: *Nisi efficiamini ficut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Tum erga populum, honores ab illo oblatos aversando, aut fugiendo. Tandem erga publicanos & peccatores, illos non solùm non dedignando; sed etiam cum illis familiariter conversando, manducando, & bibendo; ita, ut contra eum adversarii murmuraverint. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester. Hic peccatores recipit. &c.* Vide igitur quo animo, hæc documenta & Exempla Christi, de aurea humilitatis virtute exceperis, aut saltem nunc excipere velis. An, Christo humilitatem docente & exequente, tu superbiam, elationem, & vanitatem adhuc ambire audeas? Imò expende, quousq; teipsum demittere debeas, ut humilitatem ipsius DEI, utcunq, imitari possis.

II. Pugnando Christus contra eundem hostem, sub tempus Passionis sustinuit summam, dishonorationem, ignominiam, contemptum; depressionem, humiliationem. Crevit hæc imprimis ex parte Personæ Divinæ, quæ erat veri DEI. In quantùm autem homo, eò magis omnes injurias sentiebat, quò generosioris erat, cordis. Deinde crevit ex parte altæ æstimationis, ad quàm per doctrinam & miracula ita ascenderat, ut communiter vir Sanctus, Propheta Magnus, Prædicator à sæculis non auditus haberetur; ideoq; post se ingentem populi turbam traheret. Ecce verò totum de repentè mutatum est: nam Populus, qui eum tanti faciebat, tamq; avidè sequebatur, videns illum à Principibus & Magistratibus adeò contumeliosè captum, mox uti solet accidere, reputavit se deceptum in illo honorando. Hinc omnes veluti infatuati quòd tantum honorem homini fraudulento, detulerint, novis injuriarum inventis, errorem emendare volebant. Crevit quoq; ex parte Personarum à quibus fuerat inhonoratus, cujusmodi erant. 1. Discipuli quorum unus, vendidit eum pro vili pretio; alter autem ter negavit, tum alii turpiter fugientes, eum deseruerunt. 2. Erant Pontifices, Legis Doctores, Sacerdotes, Religiosi; in quibus ob summã & eminentem authoritatem in doctrina & pietate, minùs poterat præsumi error

aut

aut injustitia: hi enim post multam consultationem ac deliberationem, post causam in Concilio examinatam, pronuntiarunt illum esse mortis reum. Quod totus Populus instanter petiit à Præside, & violenter extorsit. 3. Erant milites gentiles, gens absq; DEO, abjecta & vilis; hi in eum manus injecerunt, in comprehensione, flagellatione, coronatione, crucifixione, hi absq; ullo respectu & pudore linguas suas in eum exacuerunt, ludibrijs, sannis, scommatis, blasphemiis &c. 4 Erant latrones cum eo pendentes, qui ei improperabant, eumq; conviciis lacessabant. Crevit quoq; Inhonoratio & Ignominia Christi, ex parte delictorum, de quibus accusabatur quæ multa erant & gravia; ut, quòd esset blasphemus in DEVM, cujus Filium eiq; æqualem se jactabat: quòd esset proditor in Reges quorum titulum & dignitatem sibi usurpabat, vetabatq; ne illis tributa solverentur. Quòd esset Impostor, seductor, ac perturbator Populi, trahens post se illum inquietum, congregans scholam, & spargens doctrinam perniciosam, discurrendo de loco in locum, absq; fixo domicilio. Quòd esset insignis magus ac incantator, qui falsis miraculis, arte Dæmonis factis, illudebat populo, eumq; deceptum tenebat. Crimina cuncta enormia & odiosa; & quæ alia supponebant. Deniq; Inhonoratio Christi crevit ex parte rerum, quas in Ipsum hostes præstiterunt. Dum illum comprehenderunt noctu, cum tumultu, armati milites. Traxerunt per Civitatem ligatum cum dedecore; & sic stiterunt concilio. Vbi eius causa examinata cum testimoniis; ubi servus Pontificis, & linguâ probrum; & manu alapam ei inflixit publicè. ubi eum conspuebant, colaphis percuciebant, faciem velabant, illudebant, totamq; noctem in eo vexando ac inhonorando expendebant. Manè autem facto damnatum ad mortem, à tribunali ad tribunal ignominiosè duxerunt. Apud Herodem ludicra veste indutus, ludibrio habitus est tanquam fatuus: Apud Pilatum propria veste spoliatus, in oculis tot hominum alligatus, & dirè flagellatus est tanquam maleficus. A cohorte Gentilium spinis coronatus; & tanquam fictitius Rex adoratus,

à populo Iudaico reprobatus, Barabbæ homicidæ postpositus, & ad mortem atrocissimam postulatus. A Pilato ad mortem Crucis damnatus. Extra Civitatem cum Cruce & comitatu latronum ejectus, In monte Calvariæ infami,nudus, inter latrones medius, coram innumera hominum multitudine, die Paschæ, in Crucem actus & elevatus, ibiq; moribundus multiformiter blasphematus, & confictis delictis ac opprobrijs divexatus, usq; ad divisionem animæ. O honorator & honor hominum, quis te propter eos sic inhonoravit? O cæcitas Christianorum, qui cum sese jactant de fide, toti sunt in æstimandis & procurandis honoribus!.

III. Modus saluberrimus & efficacissimus ad virtutem humilitatis acquirendam & conservandam, est: Recordatio peccatorum à te commissorum: Cogita igitur, vel minimum ex omnibus gravioribus peccatis à te perpetratis, quod tamen coram DEO gravissimum est,te reddidisse indignum quocunq; bono, quocunq; honore, quacunq; famâ aut existimatione, quacunq; amicitia, quocunq; solatio, & quod graviùs est, quacunq; gratiâ & misericordiâ Divinâ. Et è contra, dignum quocunq; malo temporali, quacunq; ignominiâ, confusione, angustiâ, calamitate, derelictione; & quod magis horrendum est, dignum æternâ privatione DEI, dignum æternis gehennæ flammis & suppliciis. Quia quodcunq; etiam minimum peccatum mortale, fecit te inimicum DEI; Filium iræ Divinæ; ac proinde dignum omnibus illis pœnis. Cum ergo certissimè te talem agnoscas, & cum nescias modò, *utrum odio an amore dignus sis*; poterisne in te reperire aliquam gloriandi occasionem? Imò verò, nonne maximam in te debes agnoscere rationem, cujuscunq;, etiam abjectissimæ demissionis consectandæ? Si *in viridi ligno hæc facta sunt, quid deberet fieri in arido*? Si in Vade, tanta ultio ac inhonoratio propter peccata aliena, spontaneè suscepta, fuit consecuta! quid ipse debitor reus propter propria, non merebitur?.

Colloquium fiat cum Christo; rogando ipsum; ut siquidem ille mei causâ factus est humilis in cogitationibus, verbis,

bis, operibus, tum in tota vita sua, tum maximè in Passione morteq; sua, ut etiam mihi largiatur gratiam, imitandi seipsum in hac virtute, ut humiliter vivendo, humilitate concludam vitam meam.

Anima Christi sanctifica me.

REFLEXIO
Supra
CASTITATEM RELIGIOSAM.

Fæmineum vitato genus; malè vipera præsto est.
Quarum multa genas ornat Cythareia, quasq;
Divite luxurians pretio commendat amictus,
His te non tenerum fatalia fœdera jungant.
Misceat his socias non garrula lingua loquelas,
Nec satiet sese tali vaga palpebra vultu,
Qui cieat turpes accenso in corpore motus.
Cautior effugias metuenda pericula lapsûs.
Non perblanda rogos animent sub pectore verba:
Casta verecundo quin sanctiùs ore loquare;
Materies nec sit sermonis fluxa venustas,
Privatusq; illâ tecum gravitate moreris,
Qua, si præstò esset gravium pupilla Virorum.

REFLEXIO
Supra
EXAMEN CONSCIENTIÆ.

Prome DEO meritas memori de pectore grates
Sidereâ petito repleri luce, latebras
Cordis, in exactum judex inquirito tempus:
Quid contra Numen, socios quoq; quidve te ipsum,
Patrâsti? quidnam torpens omissio pressit?

Admmissos coram toto Confessio Cœlo
Eluat errores: noxas dolor expiet altus;
Ac tristis patrata luat malè crimina luctus.
Proposito sese firmo correctio stringat;
Quid ratio dictet faciendum? quidve cavendum
Non in communi; sed particularia curans.
Expedit, admisso sumas de crimine pœnam;
Cœlitus apta tibi quò posthac gratia detur.

DOGMA POMERIDIANVM.

Gratiæ Spiritu: Omnes Potentias Animæ, esse animandas; ac imprimis Memoriam.

I. QVemadmodum spiritus hominis seu Anima Rationalis, quamvis sit incorporea, & indivisibilis, non habeatq; partes correspondentes partibus corporis, quas informat; est tamen tota in toto corpore, & tota in quavis ejus parte: ita etiam Spiritus Gratiæ, quo vivere & ambulare debemus, ejusmodi sit necesse, ut totus totum hominem intimè occupet, sibiq; vendicet, omnes inquam potentias, sensus, habitus, actiones, verbo; Omnes interioris iuxta, ac exterioris hominis partes animet, ac veluti informet. Quod quâ ratione fieri possit ac debeat nunc videndum. Ordiamur à potentia Cogitativa seu Memorativa: quæ ut sit purè spiritualis, alia quidem, quæ ipsam inquinant aut perturbant, amputanda ac removenda; alia quæ ornant & beant, amplectenda sunt.

Monebat quempiam Ethnicus Antonius l. 3. de vita sua, num. 5. *assuefacere te ipsum debes, ut de his tantùm rebus cogites, de quibus, si quis te subitò interroget: Quid nunc meditaris? confestim possis respondere; Hoc aut hoc: nimirum ut statim constet, cogitationes tuas esse simplices, placidas, consentaneas animali sociato alijs, ac negligenti earum, quæ ad voluptatem oblectationemq; faciant cogitationum; vacuo contentationis, invidiæ, suspicionis, aliorumve, quæ si fassus esses, pudore te suffundi oportuisset.* Hæc Ethnicus Ethnico.

Quid

Quid ergo Christianis? quid Sacerdotibus! quid Religiosis curandum? Quod si enim, ut loquitur Isaias C. 32. *Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit*: neq; unquam ad ea, quæ Subulci, aut Agazonis sunt, mentem demittit: certè & nos, quos tum naturæ Divinæ consortium, & participatio è luto gentilitio, erectos ultra nativam seraphinorum conditionem, constituit, tum Religiosa vocatio, supra communem vulgi statum & ordinem, veluti quosdam Principes, (servire enim Deo regnare est) evexit; quos obsecro alios, nisi dignos DEO, dignos cælo, dignos vocatione nostrâ, par est fovere Spiritus & cogitatus; ita, ut è pluribus Mystycæ Theologiæ Dogmatibus, illud quoq; sit; animæ in statu gratiæ, constitutæ, adeoq; viri Spiritualis, præcipuum debere esse studium; optimè se occupare, & præsertim sese bonis sanctisq; cogitationibus communire.

II. Primum, quod à nobis sibi dedicari vult DEUS, est Cor; è quo tanquam è fonte, exeunt cogitationes, & cum ille nihil amet nisi bonum; has quoq; bonas existere; iis autem contrarias procul facessere meritò desiderat. Porrò, cùm non possimus, non semper aliquid cogitare; memoria nostrâ, molam perpetuò versatilem imitante; an non æquum est, ut ea volutemus animo, quæ semper bona proficuaq; sint? Ad quod Divus Bernardus, non minùs efficaciter, quam suaviter suos exhortatus, quantumq; puritati animæ obsint, & quantâ curâ ac indignatione illis adhuc longè absentibus occurendum sit, cum ostendisset; ad extremum luto eas comparat; triplexq; illarum genus assignat, inquiens: *Et quidem cogitationum otiosarum genus, scilicet ad rem non pertinentium, lutum est: sed lutum simplex non inhærens, nec fætens, nisi fortè diutiùs immoretur in nobis, & per incuriam & negligentiam nostram, in turpium cogitationum genus convertatur: Secundum verò cogitationum genus; quod ad necessitates naturæ, cibum, potum, vestitum pertinet, non lutum simplex sed viscosum ac limosum est, ut vix eradicari queat de cordibus nostris. Tertium verò cogitationum immundarum, ac fætidarum, quæ ad luxuriam, & cætera vitia detestanda pertinent, genus, non tan-*

quam lutum aut limus cavendum est; sed tanquam immundissimum ac fætidissimum cænum. Hæc ille ser: de trip: gen: cogit: Quarum, ut alias, missas faciamus, solarum otiosarum lues, mirum dictu est, quantum mentem ijs obnoxiam inficiat, ac labefactet, ne ad sectanda cælestia assurgat. Et tamen plurimi mortalium, vanis, frivolis, & ineptis cogitationibus ita sese occupant, ac immergunt: ut mens illis non absimilis sit viæ publicæ, vel foro, qer quod omnia, promiscuè Viri, Fæminæ, varij generis animalia rhedæ, currus, & quidquid aliud est, commeant. Hoc genus hominum, castella sibi molitur in äere, effingit simulacra rerum nunquam futurarum, Magnates se, Principes, Purpuratos Patres, sibi persuadent; imaginantur sese exercitibus imperitare, vrbes obsidione cingere, expugnare; similibusq; ineptijs non rarò duas tresve horas insumunt, non sine fatigatione capitis, & subinde etiam somni, quietisq; jacturâ. Reperit aliquando Carolus V. humanam inter deambulandum Calvariam, quam dum pede proterit; advertit, mures in ea nidificare; & adjecit, credere se, hunc hominem in vivis nidos murium in cerebro aluisse, qui etiam à morte eum non deserunt. O si Calvarias sæcularium hominum introspicere daretur; quàm inquieti illic mures, dies noctesq; cerebrum rodentes apparerent! de quibus illud Iobi 17. dici posset: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Excerebrantur & emedullantur miseri homunciones; dumq; nihil nisi terrena sapiunt, nihil ferme etiam, præter terram & vanitatem cogitare sciunt, meditariq; inania, ac veluti ventos venari; de quibus vulgò illud: *Quidquid pudet dicere, pudeat & cogitare.*

III. Quanquam hæc cogitatorum vanitas, etiam mentes eorum invadit, tum orationis tempore, tum aliàs, dum otio indulgent; qui *populum suum & Domum Patris sui, adeoq; omnia quæ in mundo sunt, oblivisci jussi, conversationem suam in cælis habere jubentur.* Miser ille cogitat, se de superiore loco, ad multitudinem verba facere, motus animorũ excitare prorsus Apostolicos, se unicum ab omnibus vrbibus expeti; magno se in

pretio

pretio esse apud alios, honorem sibi ab omnibus deberi & deferri; se unum præ alijs æstimari ab hominibus, se in summo pretio & honore à viris Principibus haberi. Quid plura alia ludicra, & prope insana imaginationis simulacra referam? quæ dum Divino officio, sacrificio, orationi, alijsq; pietatis exercitijs non attenditur, sese oggerunt, & ceu muscæ, suavitatem unguenti perdunt, aut veluti volucres immundæ, sacrificio Abrahami frequentissimo agmine involant: Si verò palam referrentur, exponeremur procul dubio audientium ludibrijs, meritòq; ijs insanire, atq; mentis inopiâ laborare videremur. Ita pleriq; mortalium, præstantissimâ memorandi facultate abutuntur: an verò non satius est? eandem in res bonas, in DEVM, , DEIq; obsequia convertere? Cui enim usui tot cogitationes inutiles, nisi ut materiam adjiciant piacularibus nostri purgatorij flammis? Vt enim DEVS omnes nostrarum piarum cogitationum minutias adnumerat, nullamq; irremuneratam relinquit: hoc namq; est, quod per mysticos capitis vestri capillos, teste S. Cyrillo lib. 8. intelligit dicens: *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.* Et *Capillus de capite vestro non peribit.* Matt; 10: ita nullam vanam & inutilem sine supplicio dimittit. *Ante DEI oculos*, ait magnus Gregorius lib. 20. Mor. *vacuæ non transvolant cogitationes nostræ, & nulla momenta temporis, per annum transeunt sine statu retributionis.* Quò ergo abeunt tot vanæ cogitationes? nisi ut tempus prodigatur, cujus aliquando severissimam rationem, exiget is, qui eadem libellâ vanas cogitationes, quâ otiosa verba expendit, damnatq; ? Quidni meminimus dicti illius Sapientissimi? *Quocunq; tempore non cogitaveris DEVM, puta te tempus illud amisisse?* Cui deniq; bono tot cogitationes otiosæ, vanæ & ineptæ? Emolliunt illæ cor, bonis aditum præcludunt, mentem fatigant, & viam sternunt ad pejores; cum tamen è contrario, si Cassianum audimus, ad pravas expellendas, nullum sit præsentius remedium, quàm bonas admittere: *Incipiamus* (inquit ille Mon: 2. C. 3.) *bonas cogitationes diligere, & statim ab illis, quæ malæ sunt, dignabitur DEVS nos liberare.*

IV.

IV. Verùm; videamus iam, quibus nos doceat S. Scriptura, cogitationibus Memoriam ornare; scilicet contrariis prorsus iis, in quibus frequenter illa peccat. Quia verò peccat, oblivione DEI distractatione mentis, & vaga libertate inutilia cogitandi: ideo occupanda est piis & Sanctis cogitationibus, & de virtutibus, de bonis desideriis, de destatione vitæ transactæ, de spe gloriæ cælestis; de Æternitate, de Morte, de Iudicio, de inferorum cruciatibus, de admiranda universi Oeconomia, de rerum creaturarum contemptu, & sexcenta eius generis alia. Verùm præcipuè ornanda est, per præsentiam DEI, & attentionem orandi, Præsentiam DEI, & recollectionem animi, omnia ad DEVM referentis, nihilq; nisi quod ad DEVM spectat cogitantis, satis nobis commendat sponsus dicens: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Scilicet, cùm tua mens una est, cùm tua cogitatio una est, & de me uno: tunc certè, cùm nihil, nisi me intendis, cùm solum me respicis; cùm solius mei recordaris; unus est tuæ mentis, oculus, vnus est crinis tuus; hoc est, cogitatio tua, quæ mihi est gratissima. Quid enim gratius DEO? quàm cùm anima semper DEVM habet præsentem, semper orat, semper desiderat, semper amat, nihil nisi DEVM, aut de DEO, aut pro DEO cogitare vult. Adeò placuit sponso hæc cogitationum unitas, ut eam iterum laudaverit dicens: *Sicut vitta coccinea, labia tua Sponsa, & eloquium tuum dulce.* Quæ verba S: Gregorius sic interpretatur L. 2. Mor. C. 26. *Vitta quippe crines capitis adstringit. Labia ergo sponsæ, sicut vitta sunt, quia exhortatione S. Ecclesiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur, ne remissæ diffluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsæ, cordis oculos deprimant, sed quasi ad vnam sese intentionem colligant, dum eas vitta Sanctæ prædicationis ligat.* Hæc collectio cogitationum, maximè in Oratione est necessaria; neq; satis oratio erit sublimis, sine illa. Indicat hoc Ezechielis visio: *Emissa similitudo manûs apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me Spiritus inter terram & cælum, & adduxit me in Hierusalem in visione DEI:* Quod explicans M. Gregorius,

gorius lib. 31. C. 7. ait. *Quid est cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis, ut non sparsæ diffluant, sed per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, & Propheta per cincinnum capitis elevatur, quia cùm nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit.* Illa nimirum mens verè ascendit ad Deum, id est, bene orat, duciturq; in cœlestem Hierusalem, in visionem DEI; & Sanctam tranquillitatem, quæ mundanas curas, & cogitationes resecat: quod etiam nos monuit factum S. Iob, cùm *detonso capite corruens in terram adoravit.* Habemus enim ad resecandas inutiles imaginationes, & phantasias, quas cor terrenum parturit, novaculam illam, de qua S. Ephrem ait: *Continuâ Dei recordatione, turpes animi passiones recedunt instar maleficorum, Prætore accedente.* Si igitur perfecti esse contendimus, hoc studiosè nobis curandum, ne rebus inutilibus distrahamur in Oratione, sed omnes pravas suggestiones, quas S. Macarius hom. 6. Furta cogitationum appellat, actutum pellamus, ac rescissa penitus rerum aliarum memoriâ, Deum adoremus, totâq; mente oremus. Hinc fiet, ut intra diem, præsentem circumferamus Deum, sanctisq; cogitatis mentem pascamus; prout dicit Psalm. 76. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi.* Et *Reliquiæ cogitationis diem festum agent Tibi.* Id est, ex reliquis bonæ Orationis, totum diem transigemus Sanctè, & consecrabimus præsentiâ memoriâq; DEI, quâ nihil magis opportunum, & necessarium est, ad conservandum gratiæ Spiritum. Ex ejus verò negligentiâ, quòd multa peccata, imperfectiones, ac tota animæ dissolutio nascatur, testis est Psal. 27. *Non est DEUS in conspectu ejus: ideo inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore,* loco, occasione, opere. Econtra: solenne est illud S. Tobiæ senis datum filio, ultimæ voluntatis monitum: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM.* Tob. 2. Et veluti fructum hujus memoriæ subdit: *Et cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini DEI nostri.* Præstat hoc DEI memoria: dum per eam cum DEO ambulamus, sicut Enoch; vel coram DEO, sicut Abraham; imò DEUM advocamus ad cor, immensumq; illum

Spiritum, nobis intimè assistentem, veluti in fundò animæ collocamus; atq; intimum nostrarum actionum Gubernatorem, ac Rectorem constituimus.

V. Porro exercitium hoc; continuâ Dei recordatione occupandæ Memoriæ, faciunt nobis inexcusabile tot virorum Sanctissimorum Exempla. Taceo alia; domestica innuo. Atq; ut relinquam Principes ordinis nostri, quorum in oratione & familiaritate Dei, mirandum fuit studium: S. Franciscus Borgia ita liberaliter cum Deo agebat, ut etiam inter gravia negotia sui Regiminis, hominumq; colloquia, ipse ad secretum cordis cum DEO suo sese colligeret. B. Aloysius, Medicis & Superioribus consulentibus, aliquantùm distrahi ab amatorio DEI respectu, ne caput affligeret; respondebat: *Operosiùs sibi esse paululùm à consideratione Divina mentem avertere*: unde inclamare illud solebat, ut salvam faceret obedientiam: *Recede à me Domine.* P. Ludovicus de Ponte, ut ex curiosis seu devotis insidiis observabatur, qualibet noctis horâ orare in Ecclesia semper deprehensus; ita semper & ubiq; cogitationibus Sanctis mentem reficiebat, ut meritò, medulla sui cerebri (teste Neremb:) incorrupta, videatur Divinitus servata. P. Didacus Martinez, licet inter Indos occupatissimus ageret, ita se tamen assuefecerat iterandis interdiu amoris Dei actibus, ut quotidie ad tria aut quatuor illorum millia compleverit. P. Nicolaus Lancicius, Asceticus nostri seculi Doctor, eximia vitæ Religiosæ norma, Aquila prægrandis in sublime sanctitatis evolans, tantam sibi facilitatem, in contemplando & amando Justitiæ sole comparaverat, ut quot passus eundo, pedibus conficeret, quot literas efformaret, scribendo, quot motus sumendo cibum, seu manibus seu ore ederet; tot actus Amoris DEI videretur elicere. Aemulemur & nos Charismata hæc meliora.

MEDI-

MEDITATIO III.
De Electione bona, circa rem aliquam indifferentem facienda.

Prælud. I. Imaginare DEVM tibi loquentem: *Posui ante te ignem & aquam, extende manum, ad quod vis*, simulq; expende. Quidnam apud te sit iste ignis, quid aqua? e. g. an facienda Generalis Confessio, vel non? Perstandumne in hoc officio vel non? &c.

Prælud. II. Pete à DEO gratiam & lumen, ut agnoscas Sanctissimam eius voluntatem, quidnam sit tibi faciendum hic & nunc, & quid omittendum?

PVNCTVM I. Dum aliqua res est apertè bona, vel apertè mala, non cadit sub electionem; quia jam est determinatè amanda vel odio habenda: sed quando sum dubius circa aliquam rem vel occupationem, sitne habenda, facienda, aut omittenda, vel non habenda, vel contrarium illi habendum, vel faciendum; debeo illam considerare præcisè, in ordine ad finem ultimum, ad quem sum creatus; Et videre, quidnam ex illis extremis, scilicet habendi, non habendi, faciendi, vel contrarium faciendi aut habendi, magis mihi conducit ad eundem finem obtinendum? Item, quodnam ex illis extremis, majora mihi adfert impedimenta ad eundem finem? Nam illud extremum omnino mihi prudenter est eligendum, quod mihi magis est utile ad ultimum finem; illud verò reprobandum, quod minùs me vel magis impedit ad illum. Ratio nimirum est: Quia amor, seu intentio alicujus determinati finis, determinare nos debet ad amorem & electionem mediorum, ita, ut eatenus duntaxat amemus & eligamus nonnulla, quatenus illa videmus conducere ad finem, quem amamus, & nobis præfigimus ad assequendum: eatenus verò aversemur & repudiemus, quatenus illa judicamus magis obesse, vel

minùs prodeſſe ad finem, quem diligimus, & aſſequi conamur. Et ita infirmus, quia amat ſanitatem, ejuſq; recuperationem intendit; quidquid ad id ſervit; amat; & quod magis ſervit, illud magis amat & potiùs eligit. quod autem magis obeſt, vel minùs prodeſt, hoc averſatur, reijcit ac deteſtatur. Neque verò ille in medicamentis attendit, an ſint delectabilia, an moleſta; ſed ſolùm an ſint utilia ad obtinendam valetudinem. Idem de viatore, qui non attendit in via an ſit plana, an ſalebroſa; ſed ſolùm an ad terminum perducat, & quæ commodiùs ducat: nam ſi non perduceret, vel obeſſet, vel incommodè duceret; non eligeret illam, nec illa incederet. Similiter diſcurrendum de artifice, qui volendo efficere opus aliquod eximium, eâ duntaxat inſtrumenta aſſumit, quæ videt conducere ad ſuum finem; nec in illis attendit an ſint gravia an levia, an aurea an ferrea; ſed ſi magis conducant gravia vel ferrea, hæc potiùs ille eligit & aſſumit, in ordine ad ſuum finem præſtandum, quàm illis oppoſita. Cum ergò ultimus finis noſter, ſit DEVS noſter glorioſus, ſi illum ſincerè & unicè, prout debemus amemus; iſte amor debet nos determinare in dubijs, ad illud extremum volendum & aſſumendum, quod viderimus magìs conducere ad finem noſtrum: ad illud autem rejiciendum, quod minùs conducit, & multò magìs, quod magìs obeſt. Non attendendo interim, an magìs conducunt ſenſualitati Oculorum, Aurium; Guſtûs, Tactûs, vel propriæ exiſtimationis, vanæq; gloriæ, & laudis temporalis affectationi.

II. Si aliquis bonus meus amicus, in tali dubio eſſet conſtitutus, atque ego modò; & ſi haberet talem præ manibus materiam ad eligendum, ſicut ego, & ſi à me peteret conſilium, quidnam illi opus eſſet facto? Expendam, inquam, quidnam ego illi reſponderem, vel reſpondere deberem, ita, ut expenſis omnibus circumſtantijs, judicarem hoc potiùs fore, ad maiorem ejus perfectionem & gloriam DEI, quàm oppoſitum. Idem ergo mihi faciendum exiſtimabo, remoto omni affectu ſenſuali, aut perturbante paſſione; hac e-

nim

nim obcæcatus homo, non poteſt eſſe bonus in ſua cauſa Iudex.

III. Si eſſem in articulo mortis, quodnam ex duobus extremis tunc eligerem, aut elegiſſe vellem: id enim eſt, quod nunc eligere mihi conveniens eſt. Similiter ſi in hora judicij mei particularis, ante Tribunal Chriſti, redditurus eſſem rationem de omnibus meis electionibus in hac vita factis, quamnam tunc me feciſſe vellem? Eam igitur modò me inſtituere, congruum eſt. Tandem ſi conſulerem ſuper hoc meo dubio, aliquem è Sanctis, ad quem habeo ſpecialem fiduciam, & cujus opem aliquàndo ſum expertus in meis neceſſitatibus; quidnam mihi ille reſponderet? quidnam conſilij daret? Id ergo ſecundùm rectam rationem nunc mihi faciendum eſt.

In Colloquio: converſus ad Chriſtum crucifixum, determinabo me ad unam partem, & iſtam determinationem ac Electionem ei offeram; petendo ab ejus bonitate, ut illam acceptet, ratam habeat, & confirmet. Et ut mihi largiatur auxilium ac vires, ad illam re ipſa præſtandam, juxta beneplacitum & guſtum Divinæ ſuæ Majeſtatis.

Pater noſter,

Anima Chriſti ſanctifica me.

DIES DECIMA

Dedicanda SS. Virginibus & Matronis, ut Annæ, Magdalenæ, Catharinæ, Agneti, Barbaræ, Cunegundæ, Teresiæ, Hedvigi, &c. In gratiarum actionem pro dono Continentiæ illis & quibuscunq; hominibus dato; In satisfactionem pro delictis, contra hanc Virtutem admissis; Ad impetrandam justis finalem in gratia DEI perseverentiam.

MEDITATIO I.

De Amore DEI.

Prælud. I. Statue te coram DEO, erga te benevolo ac munifico; & coram Beatis pro te apud DEVM interpellantibus.

Prælud. II. Pete à DEO claram cognitionem, tum magnitudinis beneficiorum ab illo tibi præstitorum, tum infinitæ Bonitatis Divinæ tibi benefacientis, ut propter ipsa, & propter ipsum, tantùm eum ames, quantùm ipse est amabilis.

PVNCTVM I. Amor Verus consistit non in verbis, sed in operibus juxta illud S. Ioannis Epist: *Filioli mei non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate.* Huc spectat illud Christi in Evangelio: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Et illud: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Porro ista opera in quibus amor consistit, nihil aliud sunt, nisi communicationes bonorum, quæ amans communicat amato ex iis quæ habet. Vt si habeat scientiam, honores, divitias, aut alia bona, illa suo amato communicet, quantùm potest. Quid verò amans præstat in amato, per istam communicationem bonorum suorum?

rum? Excitat illum ad hoc, ut ille viciſſim ſit amans amantem ſe, adeoq; ut illi viciſſim communicet bona ſua, & amorem rependat amore, juxta illud Proverb. 22. *Qui dat munera, animam aufert accipientium.* Et illud vulgare: *Munera conſtringunt etiam ſaxa.* Amor eſt magnes Amoris. Amor nullo alio pretio ſolvitur, quàm amore. Vnde innatus pudor eſt, ſi quis beneficia accipiat, & non habeat, quo illa viciſſim regratificetur: non homo ſed bellua eſt; immò bellua ipſa deterior, qui poſt accepta beneficia ingratum ſe exhibet: talis enim indignus eſt anima rationali, immò & vita ipſa qualicunq;. Quia non ſatisfacit fini intrinſeco vitæ; unde eſt eſſentialiter fruſtraneus, adeoq; è rerum natura exterminandus.

II. Revoca in memoriam beneficia à DEO tibi facta, ut Beneficium Creationis; ad quod pertinet, totum eſſe animæ ac corporis, cum omnibus ſuis partibus, potentiis ac ſenſibus. Item beneficium Conſervationis; ad quod pertinet influxus continuatus Omnipotentiæ Divinæ, & cætera cuncta bona Naturæ intrinſeca & extrinſeca, ad meam conſervationem ordinata. Beneficium Redemptionis; ad quod pertinet Adventus Filii DEI in Mundum, & omnia quæ pro hominibus fecit, & paſſus eſt in carne mortali. Sacramenta quæ pro nobis inſtituit. Auxilia Gratiæ quæ nobis comparavit, & alia dona ſupernaturalia, quæ nobis intuitu Chriſti Redemptoris ſunt data. Revoca etiam in memoriam beneficia omnia particularia, quæ tibi in ſingulari contulit DEVS: quæ ſi benè conſideras, innumera eſſe reperies. Huc accedunt plurima mala, tum Naturæ, ut morbi calamitates, infortunia; tum culpæ, ut peccata eorumq; pœnæ, in quæ alii, illo permittente, ſunt prolapſi; tu autem illa evaſiſti; non alio te protegente, niſi benigniſſimâ DEI manu. Vnde etiam hæc, in quantum te DEVS ab illis præſervavit, ſunt ejus beneficia. Supereſt deſiderium infinitum, quod DEVS habet, dandi ſeipſum tibi in gloria, cum aliis ineffabilibus bonis, per integram æternitatem.

III. Pondera inſuper excellentiã datoris; Multitudinẽ atq; magnitudinẽ beneficiorũ; Incenſionẽ infinitam Amoris, à quo illa mana-

la manârunt, Modum quoq; eximium, quo hæc tibi data sunt; quia liberaliter; nam sine ullo interesse proprio; quia gratuitò, nam sine ullo merito tuo, movente sola bonitate DEI, communicativa sui infinitè. His igitur omnibus expensis, tandem ex Principiis suppositis conclude. Si verus amor consistit in operibus, & in communicatione bonorum Amantis erga Amatum? Quantus est Amor, quo me DEVS amat! siquidem tanta pro me operatus est operatur & adhuc desiderat operari per totam æternitatem. Tantaq; mihi communicavit, communicat, & vult communicare tamdiu, quamdiu ipse durabit. Et si pretium amoris non est aliud, nisi Amor. Quo amore debeo illi correspondere, communicando ipsi & tradendo totum quod habeo, quod sum & quod possum; maximè cum illi nihil dare possim, quod jam suum non sit. Et si munera rapiunt corda, saxaq; confringunt. O rebelle cor meum! quomodo te rapi non sinis tot DEI muneribus? O durius adamante! quomodo tot ictus beneficiorum Divinorum non sentis? Quomodo tanto amoris igne, durities tua non mollescit?

In Colloquio. Fatere coram DEO, te ei hactenus malè correspondisse, & pro bono malum, pro amore odium rependisse. Ergo conversus ad illum, prompto ac ferventi affectu, te totum, tuaq; omnia ipsi offer, dicens: Accipe Domine totam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, voluntatem, & universum quicquid sum, habeo, & possideo. Omnia mihi à Te tradita sunt, omnia tibi reddo, ut de omnibus omnino disponas, secundùm Tuam sanctissimam voluntatem, à qua ego ne latum quidem ungvem recedere volo; sed me ipsi in omnibus accõmodare. Da mihi Tui amorem & gratiam; quia mihi hoc sufficit.

Anima Christi sanctifica me &c.

Ejacula-

Ejaculatoriæ per diem usurpandæ.

I. Diligam Te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

II. Domine, tu scis, quia amo Te.

III. Ignem venisti mittere in terram, & vis ut accendatur. Vre ergo me illo Domine, ut liquescam amore Tuo.

DOGMA MATVTINVM.

Gratiæ Spiritu intellectus informandus.

I. Altera hæc est eaq; nobilissima animæ Facultas, quæ nos homines, facit pares Angelicis mentibus, similesq; DEO; ac res omnes, per cognitionem præsentes nobis reddit. Vt verò & hæc Potentia sit ex toto spiritualis, circa tria rectè, & ut par est, versari debet: nimirum circa DEVM; circa seipsum; circa proximum. Ac inprimis, præcipuum Intellectûs humani objectum, bonumq; ac perfectionem esse Deum; illi ipsi antiqui Sapientes, licèt à fidei lumine alieni, solo rationis ductu conclusère. Quorum Primas Aristoteles rectè philosophatus est. *Vltimam hominis perfectionem esse vitam optimam; id est optimas operationes vitales, perfectissimas autem, & eminentissimas operationes eas esse, quæ sunt secundùm sapientiam; eam verò sitam esse, in contemplatione DEI, mentiumq; separatarum, & in actionibus virtutum.* Vnde, ait, eos qui sapienter & sanctè vivunt; DEO esse similes, & ab eo diligi tanquam amicos, curæq; illi esse, ob sui similitudinem, quam illæ ipsæ operationes efficiunt. Atq; hæc omnia, ita bene ab Aristotele sunt dicta, ut solo rationis lumine, quô ulteriùs progrederetur, non haberet.

II. Verùm audiamus in schola Christiana Sanctos meliùs adhuc philosophantes: è quibus D. Thomas intellectum & voluntatem duo animæ brachia appellat, quibus Divinum illud Verum Bonumq; vitaliter amplectitur, ac sibi coagmentat. Et quamvis hæc præstans intelligendi facultas, ex eo

quòd immersa est corpori, eam ex hujusmodi vinculo contagionem trahit, ut, velit nolit, nonnisi mediante sensuum usu, & phantasmate, DEVM attingere, ac nonnisi ex proportione ad sensibilia, concipere illum, & apprehendere queat; unde fit, ut DEVS ab illo non possit prout in se est, purè intelligi: quod nonnisi in futuram vitam servatum est, in qua non per speculum, nec in ænigmate, ut modò; sed facie ad faciem; videbimus eum sicuti est, & idcirco, verè perfecteq; similes ei erimus, æterno illo infinitoq; bono, per operationes perfectissimas nobis unito, & Divina quadam similitudine, mentes nostras informante. Cæterùm & in hac vita, tum lumen fidei, tum dona sapientiæ, & intellectûs efficiunt, ut quæ Deo, rebusq; Divinis insita sunt, firmiùs idem intellectus credat, & licèt inevidenter, certò tamen cognoscat, hacq; cognitione beatissimus efficiatur. *Hæc est enim vita æterna*, ait Christus Dominus, *ut cognoscant Te DEVM verum, & quem misisti IESVM Christum*. Et per Ieremiam C. 9. DEVS loquitur: *Non glorietur sapiens, in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine suâ, & non glorietur dives, in divitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur; scire & nosse me.* Nam ut bene dicit Abbas Chæremon apud Cassianum Col. 11. C. 13. *Divitiæ salutis nostræ, in vera sapientia & scientia DEI consistunt.*

III. Verùm ut hæc proficua sit, non merè duntaxat speculativam, sed Practicam, operiq; accinctam esse oportet. *Notitia vnius DEI*, inquit S. Hieronymus L. 5. in Ierem. C. 22. *Omnium virtutum possessio est, scilicet causaliter*, ut scholæ loquuntur: nimirum cognitione DEI, ejusq; perfectionum, & attributorum sedula consideratione, proportionatos in nobis sensus, & voluntatis affectus, effectusq; operationis excitante. In quem sensum S. Clemens Alexandr: L. 7. strom: C. 4. & 6. loquitur: *Vt mors est separatio animæ à corpore; ita cognitio DEI est mors rationalis, abducens & separans animam à motibus, & perturbationibus inordinatis, deducens verò illam, ad vitam beneficentiæ, & bonarum operationum, ut tunc DEO liberè dicat: Vivo sicut vis.* Et addit: *Ille qui cognitione DEI præditus est, solus est pius, ac religiosus,*

ligiosus qui pulchrè, & citra ullam reprehensionem, in rebus humanis DEO servit.

Et certè si rationes illas formales, titulosq; ac nomina, ea præsertim, quæ desumuntur ex ijs operationibus, quibus bonitas Divina extra se effusa, nos & alias creaturas attingit, sub quibus intellectus noster, DEVM ejusq; perfectiones, & attributa cognoscit, perpendamus: equidem illis ad servitium DEI, timorem, amorem, reverentiam, mirum in modum stimulamur & cogimur. Porrò his DEI titulis & respectibus, correspondent totidem veluti officia, quibus homo ad DEVM accedit, eiq; quantùm potest, ex parte sua conatur colligari, eumq; sibi unire, ut de illo vivat & crescat, atq; perficiatur. Hi verò respectus & nomina, sunt præcipuè quatuor; ad quæ tum omnes DEI perfectiones concurrunt, tum alij omnes respectus; qui excogitari possunt, reducuntur. Est enim Author & Creator noster, atq; primum Principium. Est supremus Rex & Dominus. Est finis ultimus. Est deniq; Pater amantissimus, sive amicus benevolentissimus. Cum ergo fides doceat; nos à nobis non esse sed à DEO, tanquam primo Principio, qui etiam nos in singula momenta, & sua in nobis dona perpetuò conservat: non potest voluntas tantam summi illius Principij excellentiam non magni æstimare, & ei se, suaq; subjicere omnia ac in eum penitus, prout potest, referre, à quo se & cuncta sua pendere agnoscit. Qui actus interni sunt Religionis; ex quibus deinde oriuntur, externi, subjectionis illius internæ, testes & indices.

IV. Nec dissimili modo supremi Regis ac Domini Excellentia, Sapientia, Bonitas & Potentia augescit in anima, quando voluntariâ se ei subjectione penitus submittit, per virtutem Religionis, vel Obedientiæ: aut quando per virtutem Spei, abductam ab omnibus vitæ hujus bonis voluntatem, & fiduciam transfert in solum DEVM, eiq; ut fini suo ultimo, ac veræ beatitudini illam jungit, ut de illo etiam in hac vita vivat, gaudeatq;. Sed mirum in modum, omnes hæ primi Principij, supremi Domini, & Finis ultimi perfectiones cre-

ſcunt per Charitatem; quâ fit, ut non quomodocunq; per actus Religionis, Obedientiæ & Spei, nos noſtraq; omnia DEO reddamus; ſed etiam id ex vero ejus amore, ſinceráq; benevolentiâ faciamus. Adeò, ut quibuscunq; poſſumus obſequijs eum colamus & honoremus: non tantùm ideo, quia illi omnia debemus, ſed ex vero, ſinceroq; erga illum affectu; ita, ut quamvis abeſſet ratio primi Principij, Domini, & Finis ultimi, quâ DEO tam ſtrictè obſtringimur, tamen ob infinitam ejus amabilitatem, quam habet in ſe, ultrò & ſpontè vellemus, tum præſtare illi quævis obſequia, tum quantalibet bona etiàm infinita communicare, & quaſi ipſum ipſi reddere; idq; ex vera amicitia.

5. Alterum, circa quod intellectus noſter verſari debet, eſt cognitiò noſtri, ducens nos ad cognitionemDEI. *Hoc*, ait S. Gregor: Hom, 17. in Ezech: *Significat illa Ezechielis viſio: quòd in Templo DEI, oſtium eſſet contra oſtium, è regione ſcilicet alterius; ita ut unum præberet tranſitum ad alterum.* Duæ enim ſunt portæ, quibus patet aditus ad perfectionem, & ad intimum unionis Divinæ, conclave: altera eſt; Cognitio ſui ipſius, tùm quoad excellentias, donaq; naturalia, accepta à Creatore, tum quo ad imperfectiones proprias: altera, Cognitio DEI, & infinitorum ejus magnalium. Prima porta eſt contra alteram, ſeu è Regione alterius: quia Cognitio ſui ipſius præbet aditum ad Cognitionem DEI, ita, ut cùm ingreſſus fueris perfectè primam portam, ſtatim tibi præluceat, quod eſt intra ſecundam: ut idem contempleris in DEO, cum infinito exceſſu, quod in te ipſo cognoveris. Simul verò (oppoſita enim juxta ſe poſita magìs elucèſcunt) quò exactiùs tuam vilitatem cognoſcis, eò perfectiùs, magnitudinem DEI aſſequaris. Atq; hoc, S. Bonav. Progreſſu 5. Relig: dicit, demonſtrari myſteriò illo Evangelicò, quod Salvator noſter, in cæco nato operatus eſt, cui, luto oculis ejus impoſito, & corporalem viſum dedit, quô ſe videret, & Spiritualem, quô DEVM cognoſceret adoraretq;. Sic DEVS nos cæcos natos per ignorantiam DEI, & noſtri, illuminat; lutum unde nati ſumus liniendo ſu-

per

per oculos nostros, ut primùm incipiamus, nos ipsos agnoscere, deinde Illuminatorem nostrum credendo, proni adorare. Ita ut videre se & nosse; atq; considerare lutum seu abjectionem suam, medium sit homini, perveniendi ad Cognitionem amoremq; DEI. Hinc apud Sanctos, tam frequens fuit, hoc sui Cognitionis exercitium, ut ad majorem DEI Cognitionem ejusq; Majestatis amorem venirent. Hoc exercitium usitatum erat D. Augustino: *DEUS meus noverim me, noverim Te.* In hac Oratione S. Franciscus Seraphicus, noctes diesq; transigebat: *Quis Tu, quis ego!*

VI. Deinde hæc eadem Cognitio sui, est compendiosa ad Humilitatem via. *Multi*, ait S. Hier: ep. 27. *Humilitatis umbram, veritatem pauci sectantur.* Facilè est caput inclinare, oculos demittere, humili voce loqui, sæpiùs suspirare, & ad unumquodq; verbum, miserum se & peccatorem nominare; si tamen hos, vel uno verbo quamvis levissimô læseris, aut tetigeris; statim videre erit, quantùm à verâ humilitate absint. In promptu causa est; quia nesciunt, in quo sita sit hæc virtus, ejusq; definitionem ignorant quam ponit D. Bern: Tr: de Grad: Hum: *Humilitas est virtus, quâ homo, verissimâ sui agnitione, sibi ipsi vilescit, seq; ipsum contemnit. Superbus è contra*, ait S. Isid: in Etymolg: *dictus est, qui semper vult videri plus quàm est.* Qui ergo veram Humilitatem assequi desiderat; habeat se pro eo, qui est, nec se pluris faciat.

VII. Tertium, circa quod Intellectus noster, ut sit Spiritualis, rectè versari debet, est mite atq; benignum de alijs judicium. Quod nobis significat illud Christi capillitium, cum quo S. Ioanni Evangelistæ, apparuit initio suæ Apocalyp: *Caput autem ejus & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix:* Ubi Prudentia, atq; Innocentia judiciorum nostrorum commendatur: album enim capillamentum, seu cani capilli, sunt nota prudentiæ, maturitatis, simplicitatis, sanctitatis: Ita nostræ cogitationes candidæ, & judicia cana esse debent, id est matura, & benigna, ac innocentia; ne facilè de alijs suspicemur, sinistrèq; judicemus. Imitemur potiùs DE-

VM, ita de se gloriantem. *Ego cogito cogitationes pacis.* Iudicia quoq; & cogitationes nostræ, sint pacificæ, & benignæ. Præcipuum relaxati animi signum est, cùm quis facilè alios judicat; talis enim non introspicit seipsum, non ambulat intra se, non se dijudicat, non habet rationem suæ conscientiæ, non occupatur secum: unde in dijudicandis alienis actibus totus est. Deinde, signum est exiguæ Charitatis; nam *charitas patiens est, & benigna, non æmulatur, non quærit quæ sua sunt &c.* Colligamus ergo nos, intra nos; judicemus defectus nostros; & sic non intendemus in alienos: *projiciamus trabes de oculis nostris, ne festucam in alienis, trabem* putemus.

VIII. Sed sicut de alijs mite ac benignum formandum nobis Iudicium; ita Critica & austera de nobis iudicia aliorum, vel toleremus necesse est, vel contemnamus; dum agitur de cavendo defectu aliquo, aut exercendo virtutis actu; Qua in re mirum in modum præivit nobis Redemptor noster Christus: Qui cum sit sapientia æterna, satis advertit, quantum iudicia hominum & linguæ, ad timidos mortales, à virtutis prosecutione avocandos aut retardandos haberent momentum: ideoq; suo etiam exemplo, hunc disturbare obicem, suisq; sectatoribus, ad illum contemptu superandum, animos voluit addere. Ac inprimis iudicia humana de vili & plebeio suo ortu, nihil fecit: quia obscuro loco natus, Fabri filius, & à Nazareth, unde nihil esse boni arbitrabantur, oriundus haberi voluit. Deinde literarum rudis omnisq; scientiæ expers, dum publicè ab aliquo diceretur, tacuit. *Vnde hic literas scit, cum non didicerit?* Præterea, cùm illum contumeliosè Samaritanum, imò & à Dæmone obsessum proclamarent, cùm vini potatorem & seductorem dicerent, imò & infamis cum peccatoribus societatis accusarent; nihil commoveri visus est. Deniq; cum furiis actum, vel furore correptum, & vinculis constringendum propinqui arbitrarentur; ille quasi auribus careret, ne verbulum quidem opposuit. Postremò cùm ut malefactor & seditiosus, ac læsæ Cæsareæ Majestatis reus, apud Pilatum & Harodem, nec non frequentes hominum consessus,

petere-

peteretur ad supplicium; nihil pro iusta sui defensione adferre voluit, stupente Præside, nonnullisq; aliis, ut arbitror, ex prope adstantibus, quos invidia non obcæcaverat. Hoc Christi exemplum, quantum in viris gravissimis pondus habuerit, & quantum in nobis, ad judicia, vocesq; humanas contemnendas habere debeat, videamus. Legimus Apostolos lætitiâ perfusos, quòd digni habiti essent pro Nomine IESV contumeliam pati. Audimus Paulum in contumelijs glorian- tem, & ab humano die profecta judicia æstimantem nihili, Gregorium Nazianzenuum, dum in Christum oculos convertit, voces, atq; convitia intemperantium linguarum, habentem pro stillantibus pluviæ guttis. Iuniperum ad excipienda probra, tanquam gemmas Cælo cadentes, sinum vestis aperientem. Elzearium ad falsas famulorum delationes & sinistra inde in propinquis enata judicia, obmutescentem legimus. Vnde quæso in istis tam fortis, tam taciturna, tam læta patientia? non aliunde, quàm ab attenta Christi, inter similes injurias tacentis, contemplatione & exemplò: Quàm atrocia contra Christianos, in primis Ecclesiæ incunabulis, iactata sint judicia & probra; apud Tertullianum sigillatim expressa habemus; ut de nocturnis cœtibus, & post nescio quas ceremonias, ad extincta luminaria, impuris congressibus: de adoratione ad poplites Antistitis fœdissima; de infante, cæcis occultisq; vulneribus inter illa sacra occiso; ejusq; Sangvine, ad arctius conjurationis vinculum, in commune propinato; de altaribus, homini pro facinoribus punito, erectis; de ferali Crucis ligno adorato, & similibus; quæ, quomodo tulerint Christiani; novimus; dum imitati Christum, tacuerunt, aut modestè responderunt.

IX. Verum quidem est, quod Sapiens ait: *Calumnia conturbat etiam sapientem.* Sed primâ duntaxat commotione, quæ ad primum Christi patientis conspectum conquiescit. Id aliquando indicavit Apollo inter solitarios ob studium virtutis percelebris, qui cum Sangvinem spueret, causam hujus alterationis quærenti, respondit: *Se quidem acri alteriùs convitio fuisse commo-*

tommotum: sed dum illud, ob amorem Christi inter ludibria & opprobria tacentis, silentio premit, & concoquere ac digerere conatur, in sanguinem esse conversum; quem postquam expuit, animus quoq; ipsius pristinæ sanitati restitutus est. Sicut enim rana quamdiu in palustri & turbida aqua degit, non cessat á clamoribus & coaxatione: sed ubi in fontanam & limpidam aquam transfertur, ampliùs non coaxat sed silet; ita homo dum naturæ corruptæ cæno inhæret, continuò austeris aliorum judiciis acria, sua quoq; judicia, & convitiis, convitia, atq; clamores clamoribus reponit; sed vbi admirandam Christi, in ferendis hominum judiciis & convitiis taciturnitatem, velut in limpido fonte, & patientiæ speculo intuetur, atq; in ista contemplatione constanter hæret, quantumcunq; provocetur injuriis, judiciisq; aliorum sinistris impetatur ac obruatur, facilè silentium servat.

MEDITATIO II.

De aliis Motivis Amoris DEI.

PVNCTVM I. DEVS habitat in omnibus Creaturis. In Elementis, dando illis esse; in arboribus, dando illis esse & vivere: in animalibus dando eis esse, vivere & sentire. In hominibus autem dando eis aliquid amplius; nempe Esse, vivere, sentire, & insuper intelligere. Atq; hoc dat DEVS homini in pura Natura constituto: cæterum eidem ut elevato per gratuitum suum favorem, ad finem supernaturalem Beatitudinis æternæ, dat Dominus DEVS esse adhuc Nobilius; nimirum esse Filium DEI adoptivum, per gratiam sanctificantem infusam; vi cujus homo fit Templum vivum Sanctissimæ Trinitatis, ornatum donis supernaturalibus virtutum infusarum, Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, quibus ille creditur, amatur, colitur; adoratur. At quomodo DEVS dat mihi sua ista dona? Non mittendo illa ad me per tertiam Personam, sicut faciunt Reges terreni, dum suis subditis mittunt munera; sed

ra; sed veluti adferendo illa in domum meam per seipsum, qualiter etiam se gerit cum illis donis, quæ cæteris Creaturis confert ad meum servitium. Quæ ipsius dignatio excedit omnem admirationem. Inferam autem hinc: me quoq; debere pari modo correspondere DEO meo, reddendo & impendendo in ejus obsequium, cum magno amoris affectu, id totum, quod sum, quod possum, & habeo: non utcunq;, sed cum jugi præsentiæ suæ memoria; atq; ita serviendo ipsi in præsentia sua. Porro iste amoris gradus altior est, æstimabilior, atq; promptior ad voluntatem DEI implendam: sicut altius, & æstimabilius est servitium, quod Regi terreno præstatur in ejus præsentia, atq; aptius ad cognoscendam & implendam voluntatem ejus; quàm, quod præstatur in absentia.

II. Laborat DEVS, hoc est, ita se gerit, ac si laboraret, in omnibus Creaturis. In Cælis, Elementis, Arboribus, Animalibus, & in meipso. Scilicet conservando cuncta; & immediatè concurrendo cum omnibus, ad omnes eorum motus & actiones vivendi, sentiendi, intelligendi, & cæteras. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus, ut ait Apostolus. O ineffabilis dignatio DEI, qui non solùm conservat me, & adjuvat immediatè me per se; ad omnes meas operationes concurrendo; sed etiam ad meum servitium conservat cæteras creaturas; & quod plus ac mirabilius est, illas per se immediatè adjuvat ad mihi serviendum. Si Rex aliquis ex ferventi amore erga suam sponsam, non solùm procuraret & aleret omne servorum genus pro servitio sponsæ; sed etiam ipsemet per se, cum omnibus illis servis cooperaretur in omnibus servitiis, pertinentibus ad obsequium Reginæ: quantus ille amor esset? O quàm ineffabilis est amor DEI erga me, qui eum ad multò plura & majora facienda in mei gratiam, obstringit. Igitur & ego curabo respondere tanto Amori, cuncta operando in ejus amore; conjungendo exactam, omnium quæ ei placent, executionem; ita, ut in me labor externus non impediat talem præsentiam, & amorem, internamq; quietem, & pacem animi.

III. Omnia Bona creata descendunt ab Increatis. Sicut enim à sole profluunt radii lucis, à fonte rivi aquarum &c. Ita quoq; ab intellectu Divino infinito, à Sapientia, Omnipotentia, Æternitate, Bonitate, Iustitia &c. descendunt similes meæ limitatæ virtutes & perfectiones. Hæ enim in illis continentur eminenter, & cum præstantia infinitè excessiva. Vnde ex perfectionibus creatis, ascendam ad Divinas, & considerabo Essentiæ DEI Magnitudinem, ejus Independentiam, Æternitatem, & cætera Attributa, ut Sapientiam, Omnipotentiam, Immensitatem, Bonitatem, Misericordiam, Liberalitatem, Iustitiam &c. Ponderabo in unoquoq; seorsim ejus conditiones & proprietates. Hinc autem progrediar ad quartum gradum Amoris, Amando DEVM propter seipsum, ut summum bonum, continens in se omnia bona. Hic amandi modus est altissimus; ita, ut qui tali modo DEVM amat, nihil jam inveniat quod amet propter DEVM; vel si quid aliud amat, propter illum solum & unicè amat.

In Colloquio, Ardente cordis affectu, pete à DEO, ut claram tibi infundat lucem, ad cognoscendam infinitam ejus Bonitatem, præbeatq; efficacem gratiam, ad illam semper & unicè atq; perfectissimè amandam; adimplendo semper & in omnibus, suam Sanctissimam voluntatem.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi.

REFLEXIO
Supra
OBEDIENTIAM RELIGIOSAM.

SI promptus parere velis, non murmure duro
Lingva strepat; solvas humilis mandata jubentûm.
Iussa subi facilis, quamvis natura repugnet.
Noscere disce DEVM, quem fert persona jubentis,
Huic parere stude, ceu Christo. Promptus obedi
Mandatis, quæ nulla subit, quèis nulla patescit

Noxa.

Noxa. Iubentis ama jussum, licet ille scelestus
Perfida fœdaret manifestis pectora culpis.
Rectorum manibus proprium committere cura
Pectus, res ad te spectantes, sponte capesse
Ceu Superûm dextrâ quidquid jussêre regentes.
Ad nutus minimos, cura parere jubenti.
Ardua non segnis demissaq; munia solve.
Subjice judicium, nullâ ratione petitâ;
Fac placidus tua jussa ferens, propè cæcus obedi.

REFLEXIO
Supra
SOMNVM.

Discussis animi latebris, Venerabile supplex
Convenias; jungens elapsæ facta diei
Cum Christi meritis; præsentes illa Tonanti.
Exue, strata petens mox, artus veste pudicos;
Cujus in amplexu postquam se basia pascent,
Indiga tum somni placido componito lecto
Membra: Crucisq; instar connectito palmas,
At simul, in requiem labentia lumina, somno
Æterno credat claudi, mens provida; mollem
Non thalamum reputet, rigidum sed scandere bustum
Nec lecto sese, verùm committere leto.

DOGMA POMERIDIANVM.
Gratiæ Spiritu, Voluntas animanda.

I. Vt Voluntas sit purè spiritualis, tria potissimùm in illa reparanda & procuranda sunt; scilicet Mortificatio interior, Rectitudo intentionis, & Bona fervidaq; desideria, DEO serviendi, ac magìs in dies proficiendi. De singulis non ni-

hil dicendum. Mortificatio interior, primum exercenda est in moderatione Appetitûs Concupiscibilis, seu abdicatione sæcularium desideriorum; nihil commune cum sæcularibus habendo, sensuales opprimendo cupiditates, omnem sæculi pompam, non tantùm rejiciendo, sed etiam conspuendo, & pessum dando. Inde, namq; sequetur vera Paupertas spiritûs; quæ est professio nostra, imò omnium votorum religiosorum observantia perfecta. Qui enim, nihil de mundo desiderat; cùm mundi bona sint, divitiæ, voluptates, & honores; per contemptum divitiarum erit pauper; per horrorem voluptatum, castus; per odium dignitatum, & honorum; in humilitate sua erit obediens. Et hoc est, ad quod Apostolus hortatur Tit: c. 2. dicens: *Apparuit gratia DEI Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI, & Salvatoris nostri.* Vbi satis docet; ex renuntiatione mundanorum desideriorum, sobriè nos victuros, per castitatem; justè, per paupertatem; piè per obedientiam: Reverentia siquidem majorum, dicitur Pietas. Hinc etiam sequetur pax & tranquillitas animæ: nam, qui nullo desiderio sæculari distrahitur, possidebit cor sedatum, tranquillum, devotum, & ad orationem, cæteraq; exercitia spiritualia, dispositum: erimusq; *populus acceptabilis, sectator bonorum operum:* Causa enim, cur opera nostra non sint bona, vel non bene acta, est immortificatio desideriorum.

II. Post moderationem Appetitûs Concupiscibilis, oportet coërcere Irascibilem; ferendo patienter, quæ nostræ voluntati repugnant; ut, defectus Fratrum nostrorum, injurias quas nobis contingit irrogari, incommoditates, quæ occurrunt; jussa superiorum quæ sæpe non opportuna aut ardua, videntur nobis imponi; quarum rerum impatientia, multùm nocet fervori spiritûs. Ideo S. Iacobus dixit: *Patientia opus perfectum habet, ut simus perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Idem consulit Sapiens: *Fili, in mansuetudine opera tua perfice:* Nisi enim appetitum irascibilem perfectè mortificaverimus, perfectionem

consequi

consequi non valebimus; quam utiq; solidi patientia operatur; & sine qua, nulla perfecta virtus consistit. Quare tolerantia necessaria est dupliciter; tum ne violemus charitatem, quæ est *vinculum perfectionis*; tum ut omnes virtutes perfectè exequamur; nam in unaquaq; est quod toleremus, & summa difficultas per patientiam solùm superanda. Tota doctrina internæ mortificationis continetur duobus illis Epicteti verbis: *Sustine, & abstine.* Vtrumq; autem complectitur Regula nostra, quâ jubemur: *Quærere in Domino majorem nostri abnegationem, & continuam in rebus omnibus mortificationem.*

III. Alterum ex hac interna mortificatione, pronius fiet; ut nimirum puram ad DEVM Intentionem dirigamus. Qui enim de mundo nihil desiderat, facilè ad DEVM sua desideria convertit: Et qui nihil nisi DEVM concupiscit, nihil in omnibus rebus, nisi DEVM quærit: in quo puritas bonæ intentionis consistit; scilicet, ut in omnibus eum quærentes, omnia pro DEO faciamus. Si autem hoc non agimus, nos præcipuè, qui DEO dicati sumus, id Apostasiam quandam censere debemus, Nam graves DEVS per Isaiam querelas de hoc dedit: *Væ Filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me.* Sanctus Chrysost: legit: *fecistis voluntatem meam, & non pro me.* Quibus verbis nihil poterat significantius nobis adferri; quàm, ægrè ferre DEVM; Non omnia nos propter se agere: siquidem eos ipsos, qui suam voluntatem faciebant, Apostatas, & desertores vocat, quoniam non pro ipso facerent. Vsq; adeò pura intentio, est necessaria, & grata DEO, ut non sufficiat, quò illi placeamus: facere quod ipse vult; nisi id pro ipso faciamus? Multi enim sunt, qui etsi idem opus faciant; diverse tamen à DEO illud accipitur. Zachæus, & Herodes pariter desiderarunt videre Christum. Bonum profectò opus; at Zachæi votum sic placuit Christo, ut in suamet domo manducare voluerit, & privatim eum alloqui, instruereq;. Herodis autem desiderium sic displicuit, ut nec verbum illi loqueretur. Saul dixit, *Peccavi:* David quoq; sed quam dissimili fructu? Abraham risit promisso sibi filio; ri-

sit & Sara; sed illius risus laudatus, hujus increpatus est. Sed neq; sufficit ad puram intentionem, offerre DEO quæcunq; facimus; ad ipsumq; cuncta opera nostra dirigere; opus etiam est, ut faciamus voluntatem ejus: Nam si quis, quod sibi placet, non quod DEO, facit, etiamsi illud ad DEVM dirigat, non placebit DEO. Quare duo hæc jungenda sunt: *Facere omnia pro DEO, & facere omnia quæ DEVS vult*; inquirendo in omnibus rebus, *quæ sit voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta.* Vltra hæc, ad sinceritatem, puritatemq; intentionis requiritur, non solùm facere, quæ DEVS vult, & illa ipsa facere, quia vult; hoc est propter illum: sed etiam hoc solo intuitu illa facere; non permiscendo alium finem.

IV. Atq; hoc videtur velle Apostolus, dum monet, ut *omnia nostra in Charitate fiant.* Hoc se maximi facere, S. Gertrudi significavit Christus, minimasq; actiones Charitatis sigillo & Charactere insignitas, magni pretii esse apud æternum tribunal, asseruit. Cujus rei causa, ex natura Charitatis videtur petenda. Nam Fides & Spes, prout notat S. Thomas in 1. Corinth: etsi ad DEVM tendant, semper tamen ad nos ipsos, bonumq; nostrum reflectuntur. Nam ex Fide, veritatum æternarum Cognitio ad nos redit: ex Spe, boni alicujus exspectatio, animum delectat & sustinet: charitate autem totus homo in DEVM abit, in illo figitur, & tanquam in centro suo conquiescit. Vnde fit, ut actio à sola erga DEVM charitate profecta, prout notat Nazianzenus, Divinum quidpiam hauriat, & quodammodo Deificetur. Proinde S. Chrisosthomus optat, ut ad omnes omnino nostras actiones, hoc DEO placendi desiderium adferamus, & potissimam nostræ in hac vita beatitudinis partem, in hoc puncto consistere, atq; hanc debere esse omnium actionum nostrarum amussim & regulam arbitratur. S. verò Bernardus puro ac simplici intentionis nostræ oculo, in omni actione, veritatem & charitatem, velut perpetuas comites assignat, illam, ut eligat, quod DEO gratius; hanc, ut in actione nihil aliud, quàm DEO placere desideret; & quò desiderium fuerit intensius, eò melior

futura est illi, DEO; acceptior. Hoc observâsse videtur, ille Societatis nostræ Religiosus, Ioannes Soto, officio sartor, qui morti proximus, acum quâ usus fuerat in consuendis nostrorum vestibus, tradi sibi postulavit, rogando, ut cum ea de vita decedens tumulo clauderetur; dicebatq; sperare se, hac veluti clave cælum sibi aperiendum, eamq; se Christo afferre velle, quòd quidquid vestium illâ confecisset, eâ fecisset intentione, quasi ipsimet Christo vestem apparasset, oculis mentis continuo illam sententiam obversans: *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Quam etiam sententiam memoriâ repetens, piissimus Frater Alphonsus Rodriquez, dum officio janitoris fungeretur, Portamq; Collegii adventantibus aperuisset, & hac actione, uni Christo studeret gratificari, id promeruit obtinere, quod intendebat: nam ipse Christus, non semel ad Portam adveniens, solam pulsavit, ut Alphonso occasionem daret, januam aperiendi. Narrat Cantipratanus l. 3. Apum c. 4. Cantores, Musicos inter quos unus erat raucus, in quadam solemnitate, decertasse, quis illorum in canendo, vocis modulatione, aliis palmam præriperet? interim vox è cælo ad omnium aures delapsa: Ex omnibus solum raucum à DEO exauditum esse; eo quôd ille solus incondito suo cantu DEO placere studuisset, cæteris sibi duntaxat plaudentibus, & ad aures DEI minimè attendentibus. Tanti pretii est, studium placendi DEO; ut viles etiam in æstimatione hominum actiones, valde sublimibus, atq; cæteris speciosis & spectabilibus præferat operibus.

V. Tertium, quod in voluntate curandum est: nempe fervida desideria serviendi DEO, per quæ nos inflammare, & novo semper igne recreare, ut corda nostra perpetuò ardeant, debemus. Ad hoc enim venit Filius DEI de cælo: *Ignem* (inquit,) *veni mittere in terram, & quid vult, nisi ut Divino ardeamus amore*, & Sanctis desideriis cælestia concupiscamus. Ad hæc desideria in nobis excitanda, pronuntiavit *Beatos, qui esuriunt, & sitiunt justitiam*, atq; ut nos suo ad hoc provocaret exemplo, dixit: *Desiderio desideravi, hoc Pascha manducare vobiscum.*

Et hæc

Et iterum: *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor, donec perficiatur!* Si tam avidè & ardenter Filius DEI desideravit pati pro nobis; cur nos non desiderabimus aliquid facere, & laborare pro illo? cur non desiderabimus pro nobis bonum nostrum? Pudor noster est, quàm strenuè gesserunt se milites David, quàm animosè ejus desiderium adimplêrunt: nos autem desideria Divina torpore nostro contemnamus, & rideamus. Desideravit David, & dixit: *O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethleem!* ardua profectò res, & præterea parvi momenti: nihilominus tres milites per media castra Philisthinorum perrexerunt cum ingenti conatu, & vitæ periculo, prælian-tes, desudantes, morientes ut sic dicam, & hauserunt inde aquam, attuleruntq; ad David: DEUS autem non sibi voluptatem aliquam, non rem futilem desiderat, sed nostram salutem, nostrum profectum, nostram perfectionem, honorem, utilitatem, gaudium, & nihilominus torpemus!

VI. Pudor deinde noster est. Quàm fervidis Isaias & David flagrabant desideriis: estò exemplum Redemptoris non viderint, nec illos tot beneficiis DEUS obstrinxerat, ac nos, qui cruorem Filii sui pro nobis effusum videmus. Sanctus Propheta Isaias, præ ardore desiderii de se fatetur; neq; noctu se quiescere posse, sed ex totis præcordiis, & toto spiritu, ad DEUM anhelare. *Nomen Tuum* (inquit Isaiæ 26.) *& memoriale Tuum, in desiderio animæ meæ. Anima mea desideravit te in nocte; sed & spiritu meo, de manè vigilabo ad Te.* Sic ardebat sanctâ DEI cupiditate; ut, quamvis noctu non dormiret; proponeret tamen de manè, perseverare in suspiriis, & desideriis suis. David quoq; præ desiderio DEI, deliquia patiebatur suavissima: *Quid mihi est in cœlo,* ait Psal: 72. *& à Te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meum, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.* Et quid fervidius, quàm cùm dixit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te DEUS. Sitivit anima mea, ad DEUM fontem vivum.* Et iterum: *Concupivit anima mea, desiderare justificationes Tuas in omni tempore.* Ideo autem: *Ista desideria,* & in nobis accendenda

sunt.

funt. Primùm; quia gratiſſima ſunt DEO: propterea Angelus non invenit titulum, quo magis ſignificaret, Danielem DEO fuiſſe gratum, quàm vocando illum *Virum deſideriorum*. *Opera namq;* ait S. Laurentius Iuſtin: *eò ſiunt ſuperno judici gratiora, quò ardentiori fuerint facta charitate: nam non qui plus operatur, ſed qui plus diligit, magis commendatur à Chriſto.* Amor enim deſideriis nutritur; deſideria autem, ab amore, tanquam calor ab igne prodeunt.

VII. Deinde; quia nihil eſt, quod magis difficultatem virtutis emolliat, & faciliter laborem diſciplinæ religioſæ. Nam cùm acris præcedit cupiditas alicujus rei; ſopit moleſtias omnes, quæ in illius conſecutione occurrunt: *Vincit enim incredibilia, quemadmodum apparet in hominibus avaris, & gloriæ cupidis; quos videmus, diu noctuq; ſub faſcibus laborum deſudare, contemnere pericula, corporis quietem nihili pendere, pacem mentis amittere, ipſamq; mortem ultimum terribilium, non formidare;* ait S. Laurentius Iuſtinian: c. 6. de perfectione. Si tantùm poteſt hic amor in cordibus peccatorum: quantùm valebit in cordibus Iuſtorum, ſi pro cælorum gloria, pro Paradiſi gaudiis, pro perenni Felicitate decertare noſcantur.

VIII. Tandem, ſine magno deſiderio, non eſt cur expectemus magnum profectum: quare ardentia vota, non ſolùm ſunt opportuna, ut proficiamus, ſed etiam neceſſaria. Hinc Plutarchus, lib: de perf: mor: hoc primum ſignum dedit alicujus profectûs. *Primum argumentum* (inquit) *quo te ſentias in virtutis ſtudio profeciſſe, eſt amoris immenſitas.* Erubeſcamus ad ſententiam hujus Ethnici, non qualemcunq; cupiditatem, & amorem virtutis, ſed immenſum requirentis. Et cur non? Nam ſi iſtud Nihil fucatum, & vanitatem mundi, immenſè deſiderant avari: Bonum illud, quod revera immenſum eſt, cur miſerè & limitatè deſiderandum? Optimè S. Bernardus ſerm: 2. de omnibus SS. ait: *Quis ergo eſurit, eſuriat ampliùs; & qui deſiderat, abundantiùs adhuc deſideret; quoniam quantumcunq; deſiderare potuerit, tantùm eſt accepturus: imò non ſecundùm imperfectionem, modumve deſiderii: quoniam donec perfectè deſideret, ſed menſu-*

ram accepturus est bonam & confertã, & coägitatam, & supereffluentem.

IX. Non sis ergo contentus simplicibus desideriis, sed ad amorem DEI obtinendum, offerq; illi quantacunq; potes vota. Imitare laudatissimum illum S. Francisci Socium Maffeum, qui ut virtutem aliquam, quàm in Seraphico Patre adverterat, à DEO impetraret, precibus ardenter insistens, ab Angelo rogatus, quid ad eam obtinendam dare vellet; duos obtulit oculos. quo ardore, id assecutus est, ut ei Angelus diceret: *Habebis, quod petis; & nullum oculorum amittes.* Imitare Seraphicum Bonaventuram, cujus hæ sunt ad DEVM aspirationes, in stimulis Amor. Div: par: 2. c. 3. *Tu te mihi dedisti, o DEVs, & à me cor meum petis: sed quantum est hoc Domine mi, qui tam excellens es? Si haberem cor, majus omnium simul hominum cordibus, quod cunctorum affectus Angelorum complecteretur, quodve plura corporalia & spiritualia contineret, quàm cælum empyreum; hoc ipsum totum tibi tribuere deberem, & adhuc tanto Domino, munusculum hoc parvum, & quasi nihil esset: quantò magis illam parvam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponam: hoc enim permaximum est mibi, quod cor meum habere dignaris. Nonne stultus essem, si de cætero applicarem illud alicui Creaturæ; cum DEVS meus velit illud habere? Et jam nolo, ut in me ipso remaneat; sed volo, totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te, Melius est ut cor meum maneat in Tua Divina Majestate, & immensa bonitate; quàm in mea fragilitate; & iniquitate. Si hoc habere, ô anima mea contemplativè cupis; opus est, ut multùm corde desideres, & multùm ore postules; atq; sic desiderium tuum tribuet tibi DEVS, & voluntate tua non fraudaberis, sed mentem tuam elevans in se, benedictionibus dulcedinis eam præveniet; & tanquam coronâ lapidis pretiosi, semetipso te circumdabit.* Precabatur in ultima cæna Patrem æternum Christus pro Apostolis, immo & pro nobis omnibus, dicens: *Non pro iis tantùm rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Vt hæc Christi precatio etiam in nobis optatum sortiatur effectum, ut unum simus cum DEO; supplici voto desideremus à Patre: *Posside*

memo-

memoriam meam, & tua illam præsentiâ reple; ut sim tecum unum contemplativè. Desideremus a Filio. *Posside intellectum meum, & eleva illum Sanctis cogitationibus; ut sim unum tecum cognoscitivè.* Tandem desideremus à Spiritu S. *Posside voluntatatem meam, & Sanctis illam affectionibus inflamma, ut sim unum tecum affectivè.*

MEDITATIO III.

De conformitate voluntatis nostræ cum Divina.

Prælud. I. Statue ante oculos mentis Christum Dominum, coram toto mundo meritò gloriantem: *In capite libri scriptum est de me, vt faciam Voluntatem tuam. DEVS meus volui. & legem tuam in medio cordis mei.* Et: *Iota unum, aut apex non præteribit, donec omnia fiant.* Et: *Ego quæ placita sunt Patri meo facio semper.* Et in horto ait: *Non mea sed Tua voluntas fiat Pater.* Et vniversaliter, nos omnes orare sic docet: *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.*

Prælud. II. Pete gratiam à Christo, quatenus eum imiteris, ita tuam voluntatem Divinæ conformando, ut quidquid ille vult, tu velis: quidquid non vult, tu etiam nolis non solùm speculativè sed etiam practicè, hîc & nunc, in omni occasione.

PUNCTUM I. Nullum est argumentum evidentius, nostri erga DEVM Amoris, quàm conformitas voluntatis nostræ cum Divina. Vt scilicet idem velimus aut nolimus, quod vult aut non vult DEVS, ut de manu DEI æquali affectu suscipiamus, prolpera & adversa, iucunda & molesta; ut nulli rei creatæ nimiùm adhæreseamus; sed simus parati, ad illam habendam, vel non habendam; prout DEVS ordinaverit. Ratio hujus asserti est. Quia verus Amor consistit in communicatione bonorum; ita, ut quò chariora illa fuerint bona, & tamen illa communicat Amans Amato, eò quoq; majorem charitatem Amans ostendat Amato. *Maiorem charitatem*, ait

Christus, *nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* quia nihil habet pretiosius & carius suâ animâ: Cum ergo etiam homo nihil carius, nihil pretiosius habeat voluntate libertateq; sua; hæc enim est inseperabilis ab anima humana, vel identificatur cum illa, unde homo illam præponit omni thesauro & quibusvis possesionibus; hinc dum illam per conformitatem donat, per hoc maximè declarat amorem suum erga DEUM. Et certè; qui alicui dat arborem, donat ei fructus ejus. Voluntas in homine est arbor, omnium potentiarum veluti frondium, & actuum ab eis provenientium. Inspice igitur cogitationes verba & facta tua, an concordent cum voluntate DEI? Si concordant; habes in te evidens argumentum, quòd ames DEUM. Si non concordant; non est in te Amor; & quamvis ore proferas, quòd ames DEUM; si tamen ejus voluntatem non imples, mendax es, & veritas non est in te.

II. Licet omnis Creatura, titulo Creationis debeat esse subjecta DEO; eò, quòd sit essentialiter serva DEI, ut pote ab illo essentiliater dependens, in esse, produci, conservari, posse, & operari. Vnde nihil fit in mundo, absq; nutu & arbitrio DEI positivè volentis, excepto solo peccato, ad quod solùm permissivè se habet. Hinc omnia prorsus, ut sanitas & infirmitas, Divitiæ & Paupertas, Honores & infamia, hisq; similes eventus humani, proveniunt à manu DEI. *Omnia quæcunq; voluit, fecit in cœlo & in terra.* Non solùm bona seu prospera; sed etiam mala seu adversa. *Quod est malum in Civitate quod non fecerit Dominus?* ait Scriptura: Hinc etiam creatura libera, adeoq; voluntas mea, velit nolit, tamen debet esse subjecta DEO, quo ad omnia generali titulo Creationis. Nihilominus à Creatura libera, potente moraliter operari, plus exigit Dominus DEVS; nimirum ut se ultro spontaneè conformet Voluntati Divinæ; tum liberè acceptando quoscunq; eventus sive prosperos, sive adversos, aliunde obvenientes; tum etiam suos omnes actus internos & externos conformando Sanctissimæ ipsius voluntati, tanquam primæ Regulæ omnium morum. Ex hac autem spontanea conformatione, sequitur in ho-

mine internum solatium, Gaudium, & Pax animi, quam prædicárunt Angeli in Nativitate Christi canentes. *Gloria in Excelsis DEO: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Qui autem sunt hi homines bonæ voluntatis, nisi qui voluntatem suam conjungunt cum Divina. Practicant hoc in seipsis SS. Angeli; & hoc est quod Iob ait; *Concorda cum DEO & habebis pacem, & erit Omnipotens contrarius inimicis tuis. & tu cum Omnipotente delicijs frueris.* Tales sunt profectò felices, & lætam vitam ducentes, tanquam Reges: Cujusmodi erat ille Mendicus, qui interrogatus quis esset: Respondit; se Regem esse, Meum autem Regnum est anima mea, in qua semper dominatur Voluntas DEI. E contra vero, *non est pax impiis*, sed perpetua tribulatio, afflictio, anxietas &c. O DEVS amator Pacis! utinam anima mea sit tale Regnum, in quo tua Sanctissima Voluntas regnet, imperet, dominetur.

III. Hinc Sancti DEI, studiosè curárunt istam conformitatem sui cum Voluntate DEI, Atque imprimis in veteri Testamento, Abraham senex, ad vocem & nutum DEI, media nocte consurgit, Filium vnicum Isaac, secum tollit, ligat, mactare vult & immolare. Isaac Verò, esto posset manus Patris evadere, & fugere mortem; erat enim Iuvenis annorum 25. quia tamen à Patre audivit, hanc esse Voluntatem DEI, ut occideretur, consensit, vltro manus ligandas præbuit, flexit, cervicem sub ictum inclinavit. Iob omnibus fortunis, & prole spoliatus, nudus, in sterquilinio sedens, totus vlceribus obsitus, saniem testa radens, ad DEI tamen voluntatem respiciens, clamat; *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Sicut Domino placuit, ita factum est.* David Rex de se ait: *Vt jumentum factus sum apud Te, & ego semper tecum.* Sicut enim Iumentum ad omnia obsequitur ei, qui illud gubernat, ita & David, subjectus erat Voluntati DEI, maximè in rebus adversis; vt in persecutionibus à Saule, Absolone, Semei; & hinc meritò est appellatus *Vir secundùm cor DEI.* Iam verò in novo Testamento, Sancti Viri, quâ viâ, imprimis ad magnam perfectionem in terra; deinde ad magnam glori-

gloriam, in Cœlo pervenerunt? Non aliâ profectò, nisi, conformitate suæ voluntatis cum Divina. Talis fuit inter alios ille Religiosus, qui dicebat. *Malo ex voluntate DEI, sicut vermis per terram repere, quàm ex mea voluntate collocari inter Seraphinos.* S. Catharina Genuensis dicebat: *Si esset in meo corpore, vel in mea anima, vel vna particula, quæ contrariaretur voluntati DEI, vellem eam statim in pulverem redigi, aut annihilari.* Talis fuit & ille de quo scribit Cæsarius, qui de se ajebat: *Si me DEVS ad infernum damnare vellet, & ego me inde possem, uno Pater noster eliberare; tamen ex amore Voluntatis Divinæ, non contravenirem; dummodò id mihi concederetur, ne per totam æternitatem haberem ullam cogitationem Voluntati Divinæ contrariam.* Vnde verò isti, tantam virtutem didicerunt? A Magistro & exemplari omnium virtutum Christo Domino, qui postquam se in primo instanti Conceptionis suæ, in materno vtero, obtulit DEO Patri, ad labores & ærumnas ex beneplacito ejus tolerandas pro salute Mundi, & gloria sui æterni Patris; ita hoc ad amussim totis 30. & aliquot annis perfecit, ut *Iota unum, aut unus apex, non præterierit à lege, donec omnia fierent.*

Colloquium fiat, dicendo ad D. DEVM cum Davide: *Paratum cor meum DEVS; paratum cor meum Si vis me esse in luce, honore, splendore, fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Si *autem me vis esse in tenebris,* in ignominia, vilipendio, abjectione. *Fiat voluntas tua &c. Paratum cor meum.* Si vis me esse sanum, diuturnum, incolumem, fiat voluntas Tua, Si etiam vis me esse infirmum, brevis vitæ; paratum cor meum Da igitur mihi auxilium gratiæ tuæ, ne unquam à tua voluntate recedam ad unguem. Impetra id mihi obsequentissima Ancilla Domini; impetrate Sancti DEI, qui nunc ita pendetis à DEO vestro, sicut digiti à manu, radij à sole; torrentes à fonte. &c. &c.

Pater noster, Ave Maria, Credo in Deum &c.

INDEX LOCORUM
ex quibus Conciones vel Meditationes peti possunt, pro singulis Dominicis.

Dominica I. Adventûs.

Erunt signa in Sole & Luna & Stellis, & in terris pressura Gentium: Dum planetæ Cæli, Sol, Luna, Stellæ alterantur, ante judicium DEI; sequitur in Terris pressura Gentium: ut doceamur, quòd, si Sancti & Iusti Viri, qui per Solem, Lunam, & Stellas designantur, metuunt Iudicium DEI; quantò magis illud timere formidareq; debent, homines perversi & discoli; juxta illud S. Petri: *Si Iustus vix salvabitur, Impius & peccator ubi parebunt.* pag: 131.

His autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat Redemptio vestra. Quamvis mors, dum jam imminet, ex natura sua sit omnibus terribilis: tamen Iustis, magnam parit fiduciam, imò lætitiam. Nam illis, cum signa mortis appropinquantis jam apparent à Christo dicitur: *Respicite, & cum fiducia levate capita vestra, ecce appropinquat Redemptio vestra.* pag: 108.

Dominica II. Adventûs.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Quamvis Christus idem veniet ad Iudicium universale, qui ad nos venerat è Cælo in Mundum, & qui de Mundo ascendit in Cælum; sicut prædixerunt Angeli in ejus Ascensione: longè tamen alius ac diversus à seipso: Nam ibi venerat clemens, peccata hominum dissimulans, parcens; hîc autem veniet, admodum severus, strictè peccata discutiens, & horrendè puniens, pag: 132.

Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam, Hominem mollibus vestitum? Duplex in Ioanne hîc tacitè innuitur laudaturq; à Christo virtus: Constantia in bono, & Mortificatio sui, Quia Spiritu Gratiæ, constanter insistendum vitæ mundo

tæ mundo

Dominica III. Adventûs.

Dominica IV. Adventûs.

Dominica II. post Epiphaniam.

Dominica III. post Epiphaniam.

Quia

Dominica VI. post Epiphaniam.

Dominica Septuagesimæ.

Domi-

Dominica Quinquagesimæ.

Dominica I. Quadragesimæ.

Dominica III. Quadragesimæ.

Dominica IV. Quadragesimæ.

Dominica Passionis.

Dominica Resurrectionis.

Et valde manè. Non qualicunq; sanctæ mulieres flagrabant desiderio ungendi corpus Christi, sed ardenti & efficaci; unde non parcebant sumptibus, dum emerent aromata; non distulerunt in tempus longius, suam viam; nec somnum protraxerunt; sed valde mane surrexerunt. Quia & nobis, ut ad veram virtutis perfectionem veniamus, opus est desideriis ferventibus, efficacibus, ad ardua quæq; se resolventibus. pag: 130. 185. 263.

Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Graves ab aditu sepulchri Christi difficultates deterrebant pias matronas; cujusmodi sunt, terror militum ad ejus custodiam excubantium, gravitas lapidis ostium sepulchri obstruentis, carentia ejus qui illum amoveret; cùm illarum vires non essent huic muneri pares: & tamen pergunt ad Sepulchrum, cum viva fiducia de auxilio DEI. In rebus arduis recurrendum nobis est cum fiducia ad DEVM. pag: 86. & 87.

Surrexit non est hic. Licet ista particula Hîc, ponatur hoc loco adverbialiter: nihil tamen prohibet, quominus etiam sumatur nominaliter. Nam Christus resurgens non est hic, qui ante erat: siquidem ex passibili, mortali, abjecto, humiliato, factus est per Resurrectionem impassibilis, immortalis, splendidus, gloriosus. Idem nobiscum post Resurrectionem fiet in Gloria Cælesti. pag: 185.

Dominica in Albis.

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum & mittam &c. non credam. Arbitrabatur Thomas prudenter se agere, dum priùs vellet videre fixuram clavorum, quàm credere Resurrectionem Christi; & tamen Christus arguit eum imprudentiæ & incredulitatis: quia multæ virtutes videntur esse virtutes; cùm tamen coram DEO judice non sint tales. pag: 224.

Nisi videro in manibus ejus &c. non credam. Non ea duntaxat sectanda sunt nobis, quæ sensibus arrident; sed potiùs ea quæ dictat recta ratio. Nam Spiritu gratiæ, Intellectus noster est informandus. pag: 143.

Dominica V. post Pascha.

Dominica IV. post Pascha.

Dominica Pentecostes,

Dominica IX. post Pent:

Dominica X. post Pent:

Dominica

Dominica XIV. post Pent:

Dominica XV. post Pent:

Dominica XVI. post Pent:

Dominica XVIII. post Pent:

Confide Fili; remittuntur tibi peccata tua. Fiducia in DEUM, est fidus ad eũ Præcursor, remissionis peccatorũ, & gratiæ Divinæ. pag: 90.

Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris. Præcipuum spiritualis viri studium est, bonis & piis cogitionibus cor occupare. pag: 106,

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Libenter monito Christi paruit sanatus hic paralyticus, tulit lectum suum, & in domum suam portavit; quia faciliùs longè illi fuerat, portare hoc onus à Christo impositum, quàm tolerare paralysim. nam onus Christi est levius, quàm onus Diaboli. pag: 156.

Dominica XIX. post Pent:

Simile est Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Tunc Rex sæculorum DEUS facit nuptias filio suo, cum hominem justum inserit gloriæ cælesti. pag, 174.

At illi neglexerunt. Propter unam negligentiam, hospites invitati prolapsi sunt in graviores defectus; atq; sic reprobati à mensa Regia, ac demum perditi. Quod probat unus ex convivis, qui ob neglectum vestis nuptialis, ejectus est, & ligatis manibus ac pedibus, projectus in tenebras exteriores. Quia DEUS non unum, propter peccatum mortale unicum, reprobat & condemnat. pag: 27. 28. 29.

Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos. Quosnam exercitus Rex & Iudex Christus, venturus ad ultimum judicium ante se præmittet. pag: 132.

Ligatis manibus & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. Hîc describitur status damnatorum. Ligantur eis manus & pedes, & projiciuntur in tenebras: quia damnati duplicem patiuntur pœnam, damni & sensûs; illa consistit in privatione visionis DEI, & significatur per tenebras: Hæc autem consistit in gravi tortura, ab igne æterno, & significatur per ligationem manuum pedumq;. pagina 145. & 146.

Dominica XX. post Pent:

Descende priùs, quàm moriatur Filius meus. Antequam moriamur,

Domiinca XXI. post Pent:

Dominica XXII. post Pent:

Dominica XXIII. post Pent.

Dominica XXIV. post Pent:

INDEX

INDEX LOCORUM.
ex quibus Conciones vel Meditationes peti possunt, pro singulis Festis.

Circumcisio Domini Nostri IESV Christi.

POstquam *consummati sunt dies* 8. Esto in hac mortali vita, non solùm dies, sed etiam menses, imò & anni nostri consummantur; juxta illud Psalmi 38. *Mensurabiles posuisti dies meos;* prout etiam consummati sunt dies 8. ante Circumcisionem DEi Hominis Salvatoris nostri: tamen in altera, quam post mortem inchoabimus, vita, nec dies, nec menses, nec anni nostri unquam consummabuntur; seu degemus in Cælesti gloria, ô quali? pag: 178. seu in inferno. ô quali? pag: 159.

Vt circumcideretur Puer. Siquidem militia est *vita hominis super terram;* ut testatur Iob, ideo Rex noster Christus, vix mortalem ingressus vitam, descendit hodie in bellicam aciem, & pro tessera pugnæ nomen suum IESVS assignans, ipsemet generosè dimicat contra Capitalem salutis nostræ hostem; nimirum contra inordinatum appetitum commoditatum ac deliciarum. At quo gladio? mortificatione seu circumcisione suæ innocentissimæ carnis. Spectemus hanc pugnam, ejusq; exemplo ad similem accendamur. pag: 220. & 210. & 211. 212.

Vocatum est Nomen ejus IESVS. Assimilat Christus Regnum cælorum grano sinapis, quod esto sit modicum, tamen ex eo nascitnr arbor, ita procera, ut volucres cæli habitent super ramis ejus. Liceat & mihi dulcissimum IESV Nomen assimilare eidem grano; quia esto sit parvula vox, 5. literis, & duabus syllabis constans, tamen illud proferenti parit Regnum cæleste, ac vitam æternam. Vnde verò Nomen hoc tantam acquirit vim & energiam? Ex Gratia justificante, inhærente illud proferenti, ô quanti hæc est pretii? pag: 45.

Epiphania Domini nostri IESV Christi.

Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Ad Regem, recèns natum veniunt Reges, non solùm adoraturi, sed etiam ad Sacrum bellum, quod ille geret contra Dæmonem, Carnem, & Mundum, illum secuturi, atq; belli Duces apud eundem futuri. pag: 188.

Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Dum illi tres Reges versarentur Hierosolymis apud Herodem Christi adversarium, non lucebat illis stella: sed postquam exiverunt ab Herode, & iter susceperunt ad Christum, prælucebat illis, antecedebat & ducebat eos ad Christum. Quia & nobis Ductu Gratiæ veluti stellæ, insistendum est vitæ, mundo contrariæ pag: 196. *Vel certè.* Vna stella 3. Reges duxit ad IESVM, omnes Creaturæ ducunt nos ad cognitionem & Amorem DEI, pagina 24.

Vsq; dum veniens staret supra, ubi erat puer. Latentem in Cripta subterranea thesaurum, prodit lucens desuper flamma; reconditum in ara Venerabile Eucharistiæ Sacramentum indicat lampas desuper appensa. Christum in Cunis Betleemiticis jacentem, demonstrat Magis, pendula super stabulum stella. Et in nobis, quæ signa produnt, Christum vivere per Gratiam? pagina 31.

S. AGNES Virgo & Mart:

Dormitaverunt omnes & dormierunt. Tanto amore erga suum Sponsum IESVM S. Agnes flagrabat, ut atrocia tormenta, quæ propter illum patiebatur, viderentur ei dulcis dormitatio; ipsa verò acerbissima mors inter flammas obita, jucundus videretur somnus, juxta illud Psalmi. *Cum dederit dilectis suis somnum; ecce hæreditas Domini.* Nam mors, licet sit ex natura sua omnibus terribilis; justis tamen est instar jucundi somni. pag: 108.

Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad Nuptias. Quàm pretioso splendidoq; apparatu ornata fuerit S. Agnes, ut intraret ad Nuptias Agni, ipsamet expressit, dum Amatori impuro procanti se respondit: *Discede à me pabulum mortis. Iam ab alio amatore præventa sum, qui me induit Cyclade auro textâ.* id est Gra-

tiâ

tiâ sanctificante habituali *Immensis monilibus ornavit*, id est, tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, Charitate. *Circumdedit me vernantibus atq; coruscantibus gemmis.* id est, reliquis virtutibus moralibus infusis. *Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas.* id est, doctrinas Evangelicas & salutares inspirationes. *Sanguis ejus ornavit genas meas.* id est, tribuit mihi usum Eucharistiæ, aliorumq; Sacramentorum, in quibus pretium sui sanguinis inclusit. *Tanquam Sponsam decoravit me Coronâ..* id est contulit mihi finalem in gratia sua perseverantiam. Si ergo placuit hæc pulcherrima Sanctæ Agnetis Species, oculis Sponsi cælestis: etiam quævis Anima in Gratia DEI existens, multùm placet, DEO, Beatissimæ, SS. Angelis, & reliquis Sanctis. pag: 45.

Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Prudens omnino Virago erat S. Agnes; quia ut Christo ad cælestes nuptias se invitanti, obviam prodiret, duplici arsit flamma, exteriori quoad Corpus, & interiori, quoad Cor ardentissimis desideriis inflammatum; prout testatur Ecclesia. Beata Agnes in medio flammarum, expansis manibus orabat: *Te deprecor, Omnipotens, adorande, colende, Pater metuende, quia per Sanctum Filium tuum, evasi minas sacrilegi Tyranni, & carnis spurcitias immaculato calle transivi: & ecce venio ad te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi.* Si nobis non continget hæc felicitas, ut ardeamus pro DEO in corpore; ergo saltem piis desideriis ardeamus in mente. pag: 185. & 263.

Purificatio B. V. M.

Tulerunt IESVM, ut sisterent eum Domino, & ut darent hostiam. Hæc salutaris hostia, quam hodie Beatissima in suis manibus obtulit, gratissima fuit DEO; in primis ex parte rei oblatæ, quæ fuit pretiosissima & valoris infiniti, ac Deiparæ Carissima; nam is fuit IESVS Christus. deinde ex parte B. Virginis offerentis, Gratia DEI aliisq; donis ornatissimæ, ac insuper devotissimis affectibus flagrantis. Nostra verò bona opera, quæ DEO quotidie offerimus, quamvis ex se fuerint modica, & exilia, si tamen ferventi affectu DEO reddantur, possunt illi esse admodum grata. pag: 125. &c.

Geci-

seipsum pascere poterat abq; ulla ope alterius, deinde ut esset Tutor ac fidissimus Custos Virginitatis MARIÆ: nam esto hæc fuerit Gratiâ plena, esto DEUM Hominem in utero gereret, esto in illam Spiritus S. supervenisset, esto illi obumbrasset virtus Altissimi; tamen Iosephum adhibuit Custodem suæ pudicitiæ. Non est nostris viribus fidendum, quantumcunq; justi fuerimus pag: 85. 86.

Annuntiatio B. M. V.

Ave gratiâ plena. Pretiosum cælestis Paranymphus Virgini adfert clenodium, dum illi Gratiæ plenitudinem denuntiat. Quanti verò MARIA, hanc, quâ plena erat, faciebat æstimabatq; Gratiâ? expendamus; ut nos quoq; eam æstimare sciamus pag: 48.

Ne timeas MARIA; invenisti enim gratiam apud DEUM. Evangelicus ille mercator, qui absconditum in agro thesaurum invenit, tantâ lætitiâ exultat, ut præ gaudio vendat universa quæ habet, & emat agrum illum. Idem persvadet MARIÆ Angelus Gabriel his verbis. Ne timeas MARIA, immo gaude & exulta, quia grandem reperisti thesaurum, dum Gratiam apud DEUM invenisti. Quanti apud ipsum DEUM est pretii hic thesaurus. pag: 45.

Ecce concipies in utero, & paries Filium. Mensura Amoris est donum amato ab amante communicatum, ita, ut quò fuerit hoc pretiosius, eò etiam Amor major ac intensior sit futurus. Quiâ ergo DEUS Beatissimæ Virgini communicat hodie, donum maximum, id est Filium suum, illam Matrem ipsius constituendo; sequitur, immensum amorem Virgini Deiparæ à DEO exhiberi. Mensuremus & nos Amorem DEI erga nos, ejusdem beneficiis, ut illi vicem pro vice, & amorem pro amore reddamus. pag: 146.

Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Vivum hodie Templum totius Sanctissimæ Trinitatis facta est Virgo Divinissima. Habitavit in ea corporaliter Filius, per assumptam hypostaticè naturam humanam. Habitavit speciali titulo Pater, per virtutem quandam sibi obumbrantem. Habitavit Spiritus S. per multiplicia dona sibi communicata. O

quàm grata fuit in ea mansio Filio DEI! quàm ornata habitatio DEO Patri! quam pacata & jucunda commoratio Spiritui Sancto! O quibus obsequiis, quibus affectibus Virgo DEI Filium, 9. mensibus in utero fovit! Similis felicitas & nobis contingit, dum ratione Gratiæ Spiritum S. habitatorem possidemus, pag: 8. dum Christum in Eucharistia suscipimus. p. 112.

Dies Parasceve.

Ego Vir videns Paupertatem meam. Christus Rex noster, contra inordinatum divitiarum appetitum, totâ quidem vita pugnavit; sed maximè sub tempus suæ Passionis, extrema Paupertate. pag: 217.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Tota quidem vita Christus fuit afflictissimus; maximè tamen sub tempus suæ Passionis. quo fine? pag: 220.

Christus factus est obediens usq; ad mortem; mortem autem Crucis. Contra inordinatum Honorum appetitum, tota vita sua Christus pugnavit, maximâ demissione sui; præcipuè tamen tempore Passionis. pag: 231.

S. ADALBERTVS Episc: & Mart:

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Evidenter probavit S. Adalbertus se esse bonum Pastorem: dum pro Evangelio, quod variis Nationibus, sed præcipuè Polonis, prædicabat, multa viarum incommoda, multos labores ac ærumnos sustinuit; tandemq; à Prussis crudeliter trucidatus, mortem acerbam, confossus lanceis, pertulit. Vnde S. Pastor hanc generositatem, nisi à summo Pastore Christo didicit? Nos verò quid hactenus posuimus, quid fecimus, quidve passi sumus, pro Gloria DEI, pro salute animæ tum nostræ, tum proximorum? Vtinam à Christo discamus saltem mortificationem nostri. pag: 129. & 109.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est. Videtur quidem S. Adalbertus fuisse mercenarius; quia fugit Praga, Romam, à suis ovibus. Nam Mercenarii ingenium est, fugere ab ovibus, dum à lupo instat periculum. Sed absit hoc de San-

cto

SS. PHILIPPVS & IACOBVS Apostoli.

pingue & forte, custodiebat. Utinam & nos à S. Pastore discamus, mores nostros tanquam oves regere, & Spiritu facta carnis mortificare. pagi 210, & 260.

Mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit. Non fuit mercenaria D. Stanislai Præsulis virtus; nam videns lupum rabidum, Boleslaum Regem, scandalosis moribus oves perimentem, non fugit, sed contra eum intrepidus stetit, & minas atroces intentantem, Pastorali virgâ percussit. Non enim propria spectabat commoda, non honores, vel Principis gratiam venabatur, sed solam gloriam DEI, & salutem animarum attendebat. Sancta hæc Divi Pastoris generositas, quàm fuit DEO grata, quàm Stanislao meritoria, quàm nobis proficua ad studium placendi DEO acquirendum. pag: 261.

Ascensio Domini Nostri IESU Christi.

Assumptus est in cælum, & sedet à dextris DEI. Mons Oliveti campus fuit, in quo certatum est inter Beatissimam Virginem, Sanctos Apostolos, & quingentos Discipulos, ex una parte, de Christo in terris retinendo; ex altera verò parte, inter 9. choros Angelorum & innumeras Patriarcharum phalanges, de illo in Cælum assumendo. Utrinq; acerrimis pugnatum rationibus; sed prævaluit pars Empyrea, a qua *assumptus est in cælum.* Itaq; sicut olim Iacob vidit scalam pertingentem ad Cælum, & per eam Angelos descendentes & ascendentes; summitati verò ejus innixum Dominum: ita nunc Christo construxerunt scalam, 9. chori Angelici per suos veluti gradus dispositi, & Patriarcharum Ordines; per quam Christus in Cælum ad dexteram Patris ascendit. Nos quoq; construamus nobis ad cælum scalam, ex intensioribus gradibus gratiæ sanctificantis, in qua nobis continuò est crescendum. pag: 98.

Festum SS. CORPORIS Christi.

Caro mea verè est cibus, & Sangnis meus verè est potus. Alii cibi & potus non sunt veri, tum quia, non conservant veram vitam, nempe spiritualem & æternam; tum quia etiam hanc temporalem usu suo sensim corrumpunt, dum calorem naturalem

præ.

doptivi, & hæredes Regni cælestis. Christus ergo vult omnes nos esse negotiatores, ut illam unicam, venditis ac spretis aliis omnibus, Margaritam emamus; prout eam emit S. Margarita, relictis divitiis, honoribus, ac vitâ ipsâ. Vnde verò hanc negotiandi artem didicit hæc Sancta? nisi à Christo, summè illam æstimante. pag: 43.

S. MARIA MAGDALENA.

Stans retro secus pedes ejus, lacrymis cæpit rigare &c. Quidnam Magdalenam ad tantam adduxit Humilitatem, ut aliis mensæ, unà cum Christo accumbentibus, illa non audeat simul accumbere, esto esset multarum heres Possessionum; sed eligit infimum ad pedes IESV locum, & illorum se facit scabellum? Nisi recordatio Peccatorum à se commissorum. Nam efficacissimus acquirendæ Humilitatis modus est recordatio Peccatorum à nobis patratorum. pag: 234. Si eorum gravitatem pro merito expendamus, pag: 53.

Lacrimis cæpit rigare pedes ejus. Quot argumenta contriti cordis Magdalena exhibet? dum instrumenta iniquitatis vertit in arma pietatis; dum ex oculis lacrymas; uberes profundit, iisq; plantas Domini irrigat; dum ore venerabundo crebra sacris pedibus figit oscula, dum capillis suis tergit; pretiosoq; perfundit oleo. Quanta ejus demissio, quanta confusio ac depressio? quam expendens S. Augustinus ait: *Irruens importuna convivio, opportuna beneficio, quæsivit pia impudentiâ sanitatem.* Nam depressio & mortificatio sui, est Spongia, fœdas peccatorum maculas abstergens. pag: 215. *Vel certe.* Non sunt curanda hominum critica de nobis judicia, dum agitur de exercendo Virtutis actu. pag. 254.

Osculabatur pedes ejus, capillis suis tersit, & unguento ungebat. Ad quid Magdalena tam impensis pietatis officiis colit pedes Christi? Prævidet illa in Spiritu, quid sit futurum cum Sanctis illis pedibus, quòd propter sua peccata essent clavis horrendis transfodiendi, & cruci configendi; unde in illis legit & ex illis colligit gravitatem suorum peccatorum. Nam multa

quidem

S. AN-

S. ANNA Mater Deiparæ Virginis.

Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro. Innuitur hîc Dignitas & sanctitas S. Annæ, quæ meruit esse Mater, Dei Genitricis; & Avia Christi. O quam æstimabilis debuit esse hic ager qui tantum intra se fovit, ac in lucem protulit thesaurum, Quis unquam speraret, ex rudi, terræ massa, erui posse tam pretiosum aurum & adamantem immensi valoris? Ita nos ex vilibus nostris & modicis operibus, sublimatis Gratiâ, quam Anna significat, possumus inæstimabilem meritorum thesaurum eruere. pag: 51. & 125.

Præ gaudio illius vadit, vendit universa, quæ habet, & emit. Mira quidem istius negotiatoris erga thesaurum inventum propensio; quia illum solicitè abscondit, de illo vehementer gaudet, omnia sua vendit, & pro illo emendo libenter impendit. Sed hæc est umbra, respectu affectûs S. Annæ tum erga suam filiam, quo illam genitam educabat, nutriebat, vestiebat. tum erga suum Nepotem. quo illum in ulnis gerebat, dulciter admovebat pectori, reverenter basiabat, manu ducebat. Vtinam & nos, similes exerceamus affectus, erga Christum in Eucharistia sumptum. pag: 116.

S. P. IGNATIVS,

Designavit Dominus & alios 72. & misit illos &c. Pridem Christus varios in Ecclesia sua militante Duces, ad bellum Sanctum, contra mundum, carnem, ac dæmonem expedit; & jam præclare varia gesserunt bella. Novissimè in Societatem armorum vocat Ignatium; eumq; Ducem militiæ suæ creans, dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Gerit ergo bella Domini Ignatius, in Europa, ut Moyses; in Asia, ut Iosue; in Africa ut Gedeon, in America ut David. pag: 188

Ite, ecce ego mitto vos, sicut Agnos inter lupos. Grave olim erat bellum inter Sabinos & Romanos: illi erexerant munitiones & propugnacula, quæ vocaverunt, lupos, leones, ursos &c. hi autem contra illos, cum suo exercitu expediverunt machinas bellicas, quas appellarunt, Arietes, Agnos, Oves: & factum

mam

Relictis

gerere debeat in administrando suo munere, quod est, Suscipere animas defunctorum, juxta illud: *Constituit te Principem super omnes animas suscipiendas.* Ille ergo sistit animas morientium ante Christum Iudicem, merita & demerita eorum proponendo ac ponderando. Ille animas ad Purgatorium destinatas, ducit per suos Angelos, ibiq; eas visitat & solatur. Deniq; dignas cælo, educit ex Purgatorio, & juxta merita collocat in cælo. Quantùm nobis modò placandus, ut sit nobis propitius in Iudicio Particulari & Purgatorio. pag: 110. & 163.

S. FRANCISCVS BORGIAS.

Ecce nos reliquimus omnia. Meritò id usurpare potest S. Borgias; nam propter Christum reliquit Ducalem mitram. honores Cardinalitios, amplissimas opes, thesauros avitos, commoditates vivendi; & quod maius est, reliquit seipsum, per abnegationem sui, & continuam mortificationem; ex qua dicebat, Religiosum debere 24. vicibus per diem mori atq; sic relinquendo omnia, nihil sibi reliquit. omnia arbitratus ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Vt etiam nos illum quoad hoc imitemur, suadet gratitudo pro beneficiis à DEO acceptis. pagina 140. deinde exempla Sanctorum. pag: 130. tandem desiderium perfectionis, pag: 185. 264.

Et secuti sumus te. Quod S. Franciscus verè fuerit Christum secutus, per imitationem virtutum, *præsertim humilitatis*, testatur Ecclesia, in hodierna Oratione de Sancto. testantur tot acta illius; cum se Peccatorem scriberet, cum vilissima culinæ obiret munia, dum se sub pedibus Iudæ & Luciferi collocaret, dum ex qualibet re sumeret occasionem suæ humiliationis & confusionis. Et nos ei similes evademus, si insistemus vitæ mundo per omnia contrariæ. pag: 196.

Sedebitis & vos super sedes. Per sex olim gradus Salomon conscendebat suum solium. Borgias tribus humilitatis gradibus conscendit sublimem perfectionis in hac vita, & in altera Gloriæ thronum. Quinam sunt hi gradus, pag: 204.

SS. SIMONIS & IUDÆ Apost:

Festum SANCTORUM Omnium.

Dies Fidelium Defunctorum.

S: MARTINUS Episc: & Conf:

Si oculus

INDEX LOCORUM.

S. ANDREAS Apost:

Venite post me. Non solùm oculis Christi, sed etiam linguæ & voci, inerat quædam vis Magnetica, qua corda Apostolorum ad se traxit. Vix prolocutus est ad Petrum & Andream; *Venite post me*; statim relictis omnibus, secuti sunt eum. Adumbrata est veritas hæc in Rege terreno, suos subditos ad bellum invitante. 188. & in Imperatore milites ad suum vexillum vocante. pag: 192.

Faciam vos fieri Piscatores hominum. Magna quidem est dignitas, cooperari DEO circa salutem animarum, & tam pretiosas gemmas piscari; magniq; apud DEUM res meriti. Sed non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri: hinc & nobis magna adhibenda solicitudo in conservanda vita animæ, quæ est Gratia DEI. pag: 44.

Continuò relictis retibus secuti sunt eum. Hæc S. Andreæ obedientia erga vocem Christi, non solùm fuit prompta & alacris; quia *Continuò*; sed etiam liberalis, & generosa; quia *relictis omnibus; secuti sunt eum.* Quem? Pauperem Christum & contemptum; nihil ex eo inquirentes, quodnam habituri essent ab eo stipendium; nihilve sperantes; sed intuitu illius solius eum sequentes. Magnum quidem à S. Andrea, hoc relictum nobis est exemplum obedientiæ; sed majus à Christo. pag: 231.

S. FRANCISCUS XAVERIUS Ind: Apost:

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium. Quod de Paulo, hoc de Francisco Xaverio dicit Christus: *Vas Electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus.* Verè Xaverius fuit vas crystallinum, ob eximiam Corporis & animæ puritatem; fuit vas aureum ob insignem DEI & proximi Amorem, ex quo habuit sincerum odium & zelum, extirpandorum in aliis peccatorum. pag: 38.

Prædicate Evangelium omni Creaturæ. Quod de sole Ecclesiasticus c. 43. hoc de Xaverio Ecclesia dicere potest; *Vas admirabile, opus excelsi.* Nam in eo relucent mirabiles DEI perfectiones,

ut, Omnipotentia patrans tot miracula, Sapientia illustrans tot barbaras nationes, Bonitas & Sanctitas, tot populos & regna per eum sanctificans. Quot Insulas, quot regiones quot terras sol iste lustravit, illuminando eas luce veræ fidei, & ad amorem cultumq; DEI inflammando; ita ut de illo DEVS per Prophetam prædixisse videatur: *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Optemus Ecclesiæ similes quàm plurimos operarios; & Praxes Fidei sanctæ in nobis observemus, pagina 62.

Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Quamvis Christus amarum Passionis calicem, pro honore sui Patris exhausit, quamvis felle & aceto in extrema siti fuerit potatus; tamen hoc ei minimè nocuit; sed profuit ad obtinendam immensam cælestis gloriæ dulcedinem: *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Priùs *de torrente turbido & amaro in via bibit; tum propterea exaltavit Caput, ut torrente voluptatis potaretur.* Tali calice tractavit dilectos discipulos, Iacobum & Ioannem. Tali quoq; S. Xaverium. O quot ille venena mortifera pro nomine IESV innoxius exhausit? quæ incommoda viarum, quas inedias, vigilias, ardores solis, frigora, pertulit? quos contemptus, irrisiones, persecutiones sustinuit? quæ pericula in mari & in terra subiit? Et his non contentus; ipse ultro seipsum tot mortificationibus cruciabat, dicebatq; *Ampliùs, Domine, ampliùs.* Ecce verò, tantâ illum DEVS dulcedine cælestium consolationum, ex propagata gloria sua, & conversione Gentium proveniente replebat, ut diceret: *Satis est Domine, satis est.* O quanto cum gustu continuat in cælo eandem suavitatem! Nam & nobis, Facta carnis spiritu sunt mortificanda; ut ad gloriam cælestem veniamus. pag. 208.

S. NICOLAVS Episc:

Euge serve bone & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis &c. Felix negotiatio, impendere parum auri, honoris, famæ, voluptatis, commodi, & pro hoc lucrari Gratiam DEI & Gloriam; id est, divitias æternas, honores, & voluptates infinitas. Tales impensas

in excelsis

suis hostibus orantis, ita; ut *lapides torrentis illi dulces fuerint.* Sint etiam nobis isti lapides ad ædificationem, ut discamus constantem in perferendis alienis defectibus patientiam. pagina 170. 254.

Lapidas eos, qui ad te missi sunt. Iacob Patriarcha obdormiens in lapide, vidit in somnis cælum apertum, & Dominum innixum scalæ. Eadem felicitas obvenit S. Stephano; nam ille inter lapides obdormiens in Domino, exclamat: *Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis DEI, Domine IESV accipe Spiritum meum.* Felicem talem mortem, videre IESVM se exspectantem, parantemq; amplexus animæ, ac Spiritum in manus Christi reponere. pag: 108.

S. IOANNES Evang:

Vidit Discipulum, quem diligebat IESVS. Amor verus consistit non in verbis, sed in operibus, bona amantis amato communicantibus. Quia ergo IESVS communicavit Ioanni, quod habuit Charissimum; dum illi sub Cruce stanti, Matrem suam commendavit; sequitur, hanc dilectionem fuisse maximam. Mensuremus & nos Amorem DEI erga nos, ejusdem beneficiis. pagina 246. 255.

Vidit discipulum, quem diligebat IESVS. Magnũ DEVS amorem Davidi exhibuit, dum illum appellavit Virum secundùm Cor suum. Ioannes non affectivè ac denominativè, sed effectivè ac realiter fuit Vir secundùm cor DEI, dum in ultima cæna supra pectus Domini recubuit: tunc enim illum Christus ita cordi suo Divino tanquam Fonti omnium bonorum coniunxit, ut ex illo fluenta secretorum cælestium copiosè hauserit: illam nimirum de Divinitate Christi scientiam, illa ardentia de Amore DEI & proximi dogmata; illa recondita mysteria, Apocalypsis in Insula Pathmos revelatæ. His ejus doctrinis illuminata Ecclesia, profligavit hæreses, & innumeris viam ad cælum aperuit. Evademus & nos Viri secundùm cor DEI, si voluntatem nostram cum Divina conformemus. pag: 267.

Domine, hic autem quid? Quid ad te, tu me sequere? Posset aliquis ambigere, an ex amore erga Ioannem, hanc quæstionem Petrus proposuerit Christo, an verò ex curiositate? Si ex amore fuisset

ERRATA

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag: 4. ver: 11. Sol, *Lege*, Soli
Pag: 4. v. 12. vermen, *Lege*, vermem
Peg: 7. ver: 7. & *Lege*, ex
Pag: 12. ver: 27. agit *Lege*, ait
Pag: 19. v. 5. indocto *Lege*, inducto
Pag: 20. v. 28. Gentii *Lege*, Genii
Pag: 38. v. 13. posittm *Lege*, Positum
Pag: 38. v. 16. prævariennntes *Lege*, prævaricantes.
Pag: 38. v. 25. peccetis *Lege*, peccatis
Pag: 46. v. 27. oporrer *Lege*, oportet
Pag: 49. v. 31. spectando *L*, spectaculo
Pag: 54. v. 8. effectivã *Lege*, affectivã
Pag: 54. v. 19. afficit *Lege*, affici
Pag: 58. v. 15. májut *Lege*, minus
Pag: 63. v. 6. Absaolu *Lege*, Absalon
Pag: 66. v. 30. Missionarium *Lege*, Missionariorum
Pag: 67. v. 1. dilatum *Lege*, dilatatũ
Pag: 69. v. 2. Pronone *Lege*, Propone
Pag: 69. v. 22. Imitare illa, *omitte*
Pag: 72. v. 3. Forma *Lege*, Firma
Pag: 74. v. 36. dicaret, *L.* dicarent
Pag: 78. v. 21. aliorumne *L.* aliorũve
Pag: 80. v. 6. sensiim *Lege* sensim.
Pag: 80. v. 20. ocntrarias *L.* contrarias
Pag: 80. v. 21. tam *Lege*, iam
Pag 80. v. 26. resorbeat *L.* nõ resorbeat
Pag: 84. v. 4 pabulum *L.* patibulum
Pag: 84. v. 8. destituris *L.* desituris
Pag: 86. v. 6. maixmus *L.* maximus
Pag: 87. v. 7. fletus *Lege*, flatus
Pag: 88. v. 7. veniet *Lege*, veniat
Pag: 95. v. 1. rogandu *L.* rogandus
Pag: 95. v. 18. tali *Lege* talis
Pag: 109. v. 24. in solitam *L.* insolitã
Pag: 119. v. 5. ulli *Lege*, illi
Pag: 119. v. 21. Mentitũ *L.* Mentium
P: 120 v. 26. execrabiur *L.* execrabitur
Pag: 121. v. 7. DEI *Lege*, cæli
Pag: 122. v. 22. transit *Lege*, transiit
Pag: 130. v. 3. vendisse *L.* vendidisse
Pag: 130. v. 12. sucsere *L.* suxere
Pag: 131. v. 10. inture *L.* intuere
Pag: 131. v. 13. atterenda *L.* asserenda
Pag: 131. v. 17. satam *Lege*, latam
Pag 131. v. 29. *omissum est* ardentem
P: 132. v. 5. magnanimis *L.* magnanim9
Pag: 132. v. 30. tonituis *L.* tonitruis
Pag: 133. v. 9. punc *Lege* tunc
P. 135. v. 7. percũtabor *L.* percõtabor
P. 135. v. 14. Apostolis *L.* Apostolicis
Pag: 135. v. penult: præposuerunt, *Lege*, postposuerunt
Pag: 136. v. 7. vias *Lege*, viam
Pag: 136. v. 18. quàm *Lege*, quam
P. 137. v. 20. memento *L.* momento
Pag: 143. v. 25. conserã *L.* conferam
Pag: 144. v. 12. reperiat *L.* reperiat
P. 144. v. 21. cõmisserũt *L.* cõmiserunt
Pag: 144. v. 21. Tuum *lege*, suum.
Pag: 154. v. 18. noviter *lege*, noster
P. 156. v. 18. alteratrũ *l.* alterutrum
Pag: 156. v. 21. suare *lege*, suave
Pag: 157. v. 15. una *lege*, unam
P. 158. v. 21. securura *l.* secutura
Pag: 158. v. 27. precatio *l.* precariò
Pag: 161. v. 8. divitius *lege* diutius
Pag: 161. v. 17. vestra *lege*, vespa
Pag: 161. v. 17. sedetis *lege* sedens
Pag: 161. v. 28. incolcs *lege* incolas
Pag: 161. v. 30. amicis *lege* amicos
P. 161. v. 30. conciliate *l.* conciliaret
Pag: 162. v. 3. si *lege* fit
P. 162. v. 9. in numera *l.* innumera
Pag: 166. v. 30. futur *l.* futuro
Pag: 173. v. 9. Ira *lege*, Ita
Pag: 184. v. 20. dilationẽ *l.* dilatationẽ
Pag: 188. v. 29. tales *lege*, talis
Pag: 219. v. 30. persevere *l.* perseveres
Pag: 220 v. 17. imprimis *l.* in primis
P. 222. v. 31. promovẽdas *l.* promerẽdas
P. 340 v. 6. de destatione *l.* detestations